8 H

MENTA HISTORICA

NI GYMNASII

, MCCCCLXXVIII. uſque
ınum MCCCCLXXXI.

I SECUNDÆ ACADEMI-
'EREGRINATIONIS.

*uli Sexti Pars Poſtrema
& Potior.*

novas Academicarum Conſti-
n Promulgationes; Primam
Univerſitatis Peregrinatio-
Conductioneſque Illuſtrium
rum antea, vel poſtea factas.

U C T O R E

ANO M. FABBRUCCIO

IS INTERPRETE

entinæ Columbaris Acade-
miæ Socio.

SPectat ad varium Academiæ Piſanæ Fatum ea Rerum Series, quam nunc Hiſtorica Narratione perſtringere aggredior : ex opportuna ſiquidem ſaluberrimarum quarumdam Legum Promulgatione; e multiplici Clariſſimorum Profeſſorum Conductione, videbatur *Academia hæc noſtra* utilitatem maximam perceptura. Non omnino tamen ex voto res ceſſit, quum pluries ob imminentis Contagij periculum, peregrinandum Ei fuerit, & non ſine aliqua Rei Literariæ jactura, transferendi lares eidem fuerint. Rem omnem, aut ſaltem præcipua quæque Capita, Chronologico proſequar Ordine, ut mihi in more poſitum eſſe, Boni omnes fatentur.

Et cum jam inſtare *Annum Milleſimum Quadringenteſimum Septuageſimum octavum* ex hueuſque prænotatis intelligam, Silentio mihi primum prætereundum non eſt *Hoc Anno* auctoritate Florentinorum Procerum, jam inde ab *Anno Milleſimo Quadringenteſimo Seſto*, Piſanæ Reipublicæ Dominatum habentium, partim ex integro conditas; partim vero reformatas priſcas illas Academicas Leges, quæ *Juri Conſuetudi-*

nario & incerto acceſſerant, quo primis temporibus Academia noſtra uſa eſt, prout denaſcenti adhuc Roma *Sext. Pomponius* in Enchiridio teſtatur. (*a*)

Quum Leges appello, non intelligo multigenas illas œconomicas, quas pro re nata; pro augendis minuendiſque Stipendiis &c. Sibimetipſis conſtituebant. In hoc genere ſufficiat Cardinales illas attuliſſe, quæ alibi fuerunt allatæ. Reliquæ nimiæ ſunt; Academiæ velut quiddam extrinſecum; nec Opuſculi anguſtias patiuntur.

Scholaſticum igitur Magiſtratum, ſub nomine *Officialium Studij*, Florentiæ inierant præd. Sal. *Anno MCCCCLXXVIII.*, de more Quinque Nobiles Viri, (*b*) quorum quatuor in hoc eodem Officio præclarum de ſe ſpecimen jam exhibuerant, nempe *Thomas Aloyſij D. Laurentij de Ridolfis; Bernardus Jo: Pauli Rucellai; Antonius Bernardi Miniati Dini; Laurentius Petri Coſmi de Medicis* opportuno loco, & jure quidem optimo laudati: (*c*) quibus recenter

(*a*) Relat. in L.2. §.1. Dig. de Orig. Jur.

(*b*) Lib. II. Archiv. Reformat. Florent. pag. 2.

(*c*) In Opuſc. V. pag. 26. & ſeqq.

ter additus locum quintum occupabat *Berlinghberius Franciſci Berlinghberii* : Vir utique magis hac Præfectura , quam Vexilliferatu felix , cum ſub eo turpis Pactiorum in Mediceos Conjuratio , atque atrox *Sixti IV.* prælium in Florentinos parari cœperint . (*a*) Contra vero eodem auſpice utilis hæc Academica Legum latio ſuſcepta : pro quo aliiſque in Academiam præclare meritis , in ſolemni ejus Funere Inſigne Univerſitatis *Cherubin* appendi poſſe publica fuit auctoritate decretum . (*b*)

Præpoſituram autem , ſorte ſibi de more delatam gerebat, inter prædictos Officiales *Bernardus Joannis Pauli Rucellai ;* miniſterium vero Proviſoris pro eorum Magiſtratu , *Joannes Raphaelis Bonſi Nob. Florent.* , de quibus pariter ſuperius actum ; (*c*) *Piſis* autem Vicerectoris Munus *Andreas Agliata Siculus* , (*d*) cum *Die Quarta Menſis Novembris d. An.* 1478. , vigore aucto-

(*a*) Scip. Ammirat. Lib. XXIV. in princip.

(*b*) D. Lib. 2. Rer. Stud. in Tabul. Refor. pag. 45.

(*c*) In prælaud. Opuſc. V., cui Titul. Collectio &c.

(*d*) Memor. Reform. pag. 10.

ctoritatis tam ab initio huic Magiſtratui conceſſæ, (*a*) quam Anno Superiore, videlicet ſub *Die Septima Junij MCCCCLXXVII.* per Conſilium Centumvirale confirmatæ, Corrigendi, ſeu emendandi Vetera Statuta, atque etiam Nova condendi, ibi = *Con autorità di potere raſſettare gli Statuti d' Eſſo &c.*, pro bono Gymnaſij Regimine, Hæc Statuenda, & Promulganda ſolemniter cenſuerunt Manuſcriptis Vigintinovem Capitibus, quæ *Rubricas* appellare conſuevimus, diſtincta (*b*)

In

(*a*) Ind. Collect. V. pag. 10. & ſeqq.

(*b*) Ex præd. Volum. II. Reform. Florentin. pag. 2. & ſeqq.

„ *In Dei Nomine Amen. Anno Incar-*
„ *nationis Domini Noſtri Jeſu Chri-*
„ *ſti Milleſimo Quadringenteſimo Se-*
„ *ptuageſimo octavo, Indictione duo-*
„ *decima, & Die quarto Menſis*
„ *Novembris.*

„ EGregij & præſtantes Viri
„ Thomas Aloyſij Domini Lau-
„ rentij de Ridolfis
„ Berlinghierius Franciſci Berlin-
„ ghieri
„ Bernardus Joannis Pauli Oricella-
„ rij, &
„ Antonius Bernardi Miniati Dini
„ Cives Nobiles Florentini, & pro
„ Magnifico, & Excelſo Populo Flo-
„ rentino Præfecti, & Officiales Stu-
„ dij Civitatis Florentiæ, & Piſarum
„ ſimul in ſufficienti numero congre-
„ gati in Palatio Populi Florentini pro
„ eorum Officio exercendo, ut moris
„ eſt, quamvis abſente Viro Illuſtri
„ Laurentio Petri Coſmæ de Medicis
„ eorum Collega, ſed tamen in dictis
„ quattuor integra remanente auctori-
„ tate, cognita poteſtate ſibi conceſſa
„ per Conſilium Centumvirale Civita-
„ tis Florentiæ Die Septimo Junij
„ MCCCCLXXVII. In nova Montis
„ Reformatione corrigendi ſeu emen-
„ dandi, & in meliorem formam re-

„ di-

„ digendi Statuta, & Ordinamenta di-
„ cti Studij, atque etiam nova con-
„ dendi. Et examinatis diligenter ijs,
„ quæ pertinere arbitrabantur ad bo-
„ num Regimen, & Conſervationem
„ dicti Gymnaſij, propterea facto in-
„ ter ſe ſolemni, & ſecreto Scrutinio
„ ad fabas nigras, & albas de more
„ Civitatis, & obtento partito ſecun-
„ dum Ordinamenta Communis Flo-
„ rentiæ, & eorum Officij Provide-
„ runt, Ordinaverunt, Statuerunt in-
„ fraſcripta videlicet

De creando Rectore Studij Piſarum, & Vicerectore.

RUBRICA I.

„ VEtus Rector aut eo non exi-
„ ſtente Vice Rector, vel eo de-
„ ficiente Conſiliarij Univerſitatem to-
„ tam Gymnaſij evocent in Archiepi-
„ ſcopatum Piſarum: ibique omnes
„ Doctores, & Scholares, Piſanis ex-
„ ceptis, congregentur, ſed nullus in-
„ grediatur armatus, aut aliquo ferro,
„ vel re inſtructus apta ad offenden-
„ dum, vel defendendum ſub pœna
„ Florenorum decem largorum cuili-
„ bet contrafacienti auferenda, & Uni-
„ verſitatis Ærario applicanda pro ex-
„ penſis, & conſervatione Scholarum:
„ cu-

„ cujus pecuniæ quarta pars ſit accu-
„ ſatoris, vel notificatoris, & altera
„ quarta pars Rectoris exigentis, ſi &
„ poſtquam ad introitum Univerſitatis
„ ea pœnæ pecunia deſcripta fuerit.
„ Poſtquam vero convenerint, ac in-
„ trogreſſi fuerint, tum Vicecancel-
„ larius, vel ejus Vicarius, coram
„ Capitaneo Piſani Populi qui ad id
„ invitetur, & Rectore, ſeu Vice-
„ rectore Studij, ſi exiſteret, atque
„ duobus Scholaribus amicis Concur-
„ rentium ad petitionem Rectora-
„ tus, ſumpto Statutorum Volumi-
„ ne Gymnaſij, jusjurandum defe-
„ rat ſingulis Scholaribus introgreſſis
„ jubens ut jurent, & quod per tres
„ ante menſes in Studio Piſarum in-
„ greſſi audierint, & quod in Matri-
„ cula ſint deſcripti, aliter excludan-
„ tur. Poſt hæc ſingulorum nominibus
„ per Scribam Univerſitatis deſcriptis,
„ concludantur omnes ſimul Scholares
„ primo, deinde ſingulatim evocen-
„ tur, evocatique Chirographum, ſeu
„ Cedulam continentem nomen ejus,
„ quem Rectorem optent Vicecancel-
„ lario tradant coram Capitaneo, &
„ Rectore, ac duobus Scholaribus ſu-
„ pradictis. Egreſſis vero omnibus, &
„ datis nominibus Officiales prædicti
„ animadvertant, atque diſpiciant quis

„ an-

„ antecellat ſupremuſque ſit in nume-
„ ro vocum, quo facto, qui cæteros
„ ſuperaverit denuntietur, & publice-
„ tur ab ijs Rector, & demum per
„ Doctores, Scholareſque omnes per
„ totam Urbem deducatur Domum.
„ In creatione autem Rectoris præpo-
„ nantur Ultramontani omnibus alijs,
„ & Citramontani non ſuppoſiti Juri-
„ ſdictioni Florentinæ præponantur Ci-
„ vibus, & Subditis Florentinis. Si
„ autem non inveniretur Ultramonta-
„ nus, vel aliquis alius non ſuppoſitus
„ dictæ Jurisdictioni, qui tale Offi-
„ cium quereret, vel acceptaret, tunc
„ adſumi poſſit aliquis de Civitate,
„ Comitatu, vel Diſtrictu Florentiæ,
„ dummodo non ſit Piſanus, cum eſſet
„ Studium Piſis, vel inde oriundus ubi
„ ſtudium vigeret. Sin eveniret quod
„ reperirentur aliqui pares in vocibus,
„ iterum in ſuffragia, voceſve mittan-
„ tur tales Concurrentes, quouſque
„ alius alium ſuperet, & quiſquis eo-
„ rum plus favoris habuerit, Rector
„ declaretur, & habeat de Salario Flo-
„ renos ſexaginta de Studio pro Anno
„ ſui Officij, & ad rationem Anni,
„ ad rationemque Librarum quattuor
„ Florentinarum pro quolibet Floreno.
„ Quandocumque vero vacaret Rector
„ Studij Piſarum, ſive quia non repe-

„ rire-

„ riretur qui eſſe vellet, ſive quia in
„ Magiſtratu obijſſet, ſive quia Magi-
„ ſtratum depoſuiſſet, vel alia cauſa,
„ liceat Univerſitati dicti Gymnaſij con-
„ ſtituere ſibi Vicerectorem pro tem-
„ pore vacationis, ſervata forma ele-
„ ctionis Rectoris, poſſitque Vicere-
„ ctor capere quæcumque emolumenta
„ permiſſa ſunt Rectori, & quæ cape-
„ re conſuevit ex jure, & ſecundum
„ Ordinamenta dictæ Univerſitatis. Sa-
„ larium autem ab Officialibus Studij,
„ vel a Communi Florentiæ nec pete-
„ re poſſit ullum, nec habeat, nec ei
„ decerni etiam poſſit quoquo modo.
„ Nullus autem ſive Rector, ſeu Vi-
„ cerector dicti Studij confirmari poſ-
„ ſit in Officio tacite, vel expreſſe,
„ recte, vel indirecte. Et quicquid ſe-
„ cus, vel contra fieret ſit irritum,
„ & inane. Hoc in prædictis expreſſo,
„ & declarato, quod in electione Re-
„ ctoris, vel Vicerectoris Scholares
„ Cives Florentini, vel de Juriſdictio-
„ ne Populi, & Communis Florentiæ
„ non habeant aliquam vocem, nec
„ intereſſe valeant tali Deputationi ali-
„ quo modo. A ceteris autem Acti-
„ bus Univerſitatis non intelligantur
„ eſſe, nec ſint excluſi quoquo modo,
„ & quicquid aliter fieret non valeat,
„ & ſit ipſo jure nullum.

B De

De Cognitione Rectoris, & Vicerectoris.

RUBRICA II.

„ REctor vel eo non exiſtente Vi-
„ cerector Studij Piſarum cogno-
„ ſcat inter Scholares quæcumque ad
„ Civiles pertinent Actiones, eorum-
„ que Lites decidat, ac terminet, ejuſ-
„ que ſit tam in Criminalibus, quam
„ in Civilibus cognitio, etiamſi ſi eſ-
„ ſent delicta, vel offenſæ cum aliqua
„ Sanguinis effuſione. Sed non obſtan-
„ tibus prædicti Furti, & Homicidio-
„ rum cognitio ſit ſola Poteſtatis, &
„ Capitanei Civitatis Piſarum, deque
„ ijs cognoſcant præſente Rectore Stu-
„ dij, ſi quidem præmonitus adeſſe
„ voluerit.

De Congregatione Conſiliariorum, & pœna non venientium.

RUBRICA III.

„ COnſiliarij vocati per Bidellum,
„ Rectoris, vel Vicerectoris no-
„ mine pareant, & conveniant quo
„ vocantur: fiatque Citatio una die
„ pro altera, qui ſi non convenerint
„ omnes vocati, liceat, poſſintque Re-
„ ctor,

„ ctor, & octo Conſiliarij tunc præ-
„ ſentes expedire negocia incidentia,
„ & cetera quæ ad officium pertinent
„ ipſorum, & Acta, & Decreta per
„ dictum Rectorem, & octo Conſilia-
„ rios concordes omnes valeant, & ob-
„ ſerventur perinde ac ſi per duas par-
„ tes omnium Conſiliariorum cum Re-
„ ctore congregatorum deliberata, &
„ facta fuiſſent. Per prædicta tamen
„ non intelligatur abrogatum, neque
„ derogatum Statuto tradenti formam
„ ſuſtituendi Conſiliarios. Nequa vero
„ incidat controverſia utrum quis ci-
„ tatus fuerit, nec ne, ſtetur, & ſtari
„ debeat ſimplici relationi Bidelli.

De modo concedendi quatuor Lecturas Dierum Feſtivorum.

RUBRICA IV.

„ A Rectore, ſeu Vicerectore, at-
„ que Conſiliarijs Almæ Univer-
„ ſitatis Studij Piſarum quolibet Anno
„ ſaltem per totum Menſem Octobris
„ (*a*) dentur, ac diſtribuantur modo
„ infraſcripto quattuor Lecturæ pro

 „ Die-

(*a*) Tempus hoc deinde prorogatum fuit ad Menſem Julij, & intra terminum unius Menſis juſſa fieri Officialibus Notificatio.

„ Diebus feriatis, ſeu feſtivis, quibus
„ Ordinarie nihil legitur, concedique
„ debeant quattuor Scholaribus Vete-
„ ranis, qui ſtuduerint ſuis expenſis
„ in Studio prædicto ad minus per
„ Triennium, earumque una ſit in
„ Jure Canonico, altera in Civili,
„ tertia in Artibus, quarta in Medi-
„ cina. Ex his quattuor Scholaribus
„ ſic eligendis unus eſſe prorſus de-
„ beat vel Civis Florentinus, vel de
„ Comitatu, aut Diſtrictu Florentiæ,
„ & aliter facta Electio pro infecta
„ habeatur, nihilque valeat. Quicum-
„ que vero electus fuerit ad Lectio-
„ nem Juris, vel Canonici, vel Civi-
„ lis Salarium habeat a Communi Flo-
„ rentiæ pro ſua Lectura in uno An-
„ no Florenos triginta de Studio, id-
„ eſt ad Libras quattuor Florentinæ
„ Monetæ pro quolibet Floreno. Qui
„ vero electus fuerit ad Lectionem Ar-
„ tium, vel Medicinæ habeat de Sa-
„ lario pro ſua Lectura Florenos vi-
„ ginti de Studio. Quæ quidem Sala-
„ ria ſolvantur eis caſu, quo non do-
„ ctorentur gratis. Et nihilominus ea
„ ſolvi non poſſint, neque debeant,
„ niſi præcedente ſtantiamento Officia-
„ lium Studij pro tempore exiſtentium,
„ & ſervatis ſervandis ſecundum ea,
„ quæ infra dicentur. Sed in electione

„ di-

" dictorum Scholarium veteranorum
" procedi debeat hoc ordine , & mo-
" do , ut pro qualibet Lectura ponan-
" tur ad Partitum duo ad minus no-
" minandi ab ipſo Rectore Studij , aut
" Vicerectore , & nihilominus quilibet
" Conſiliarius poſſit nominare unum ,
" quem volet pro quacumque Lectu-
" ra , qui omnes ſic nominati tam a
" Rectore , ſeu Vicerectore , quam a
" Conſiliarijs poni debeant ad Parti-
" tum , & qui plures habuerit voces ,
" ille ſolus pro ea Lectura , pro qua
" fieret electio , intelligatur electus .
" Si vero eſſet paritas vocum in ali-
" quo Partito poſſit Rector , ſeu Vi-
" cerector , cui voluerit gratificari , &
" nullus , qui in una Facultate Lectu-
" ram habuerit , poſſit ad aliam eligi ,
" vel ad Partitum mitti . Si autem
" contingeret aliquam ex dictis Lectu-
" ris non dari , pecuniæ pro ea deſti-
" natæ cedant Communi Florentiæ .
" Hoc in prædictis expreſſe declara-
" to , & conſtituto , quod deinceps
" dictæ Lecturæ dari non poſſint Con-
" ſiliarijs , nec ipſi mitti in Suffragia
" poſſint , nec eis voces reddantur , &
" quicquid aliter quam præſcribitur
" fieret ſit ipſo jure nullum . Hoc non
" intelligatur pro ijs conſtitutum , qui
" nunc in Officio ſunt .

Scholares Lecturarum Dierum Feſtivorum ad quæ teneantur.

RUBRICA V.

„ SCholares electi ſecundum formam
„ prædictam teneantur, & de-
„ beant eodem Anno ſemel, aut plu-
„ ries publice diſputare, aut repetere
„ ſaltem ſolemniter, in eoque actu
„ debeant intereſſe ad minus quattuor
„ Arguentes, qui jurare debeant in
„ manibus Notarij Univerſitatis ibi-
„ dem præſentis, quod non ex com-
„ poſito arguent, ſed ex voluntate me-
„ ra diſputandi. Et inſuper teneantur
„ dicti Scholares Cautionem dare Re-
„ ctori, ſeu Vicerectori per idoneum
„ Campſorem, quod ipſi eodem Anno
„ Doctoratus Inſignia in illa Faculta-
„ te in qua Lecturam habuerint in
„ Collegio Piſano adſument, & de
„ prædictis omnibus condicionibus fi-
„ dem facere ex manu Notarij Uni-
„ verſitatis Studij dictis Officialibus Stu-
„ dij, vel eorum Notario, aliter eis
„ Stantiamenta reddi, vel Salaria ſol-
„ vi non poſſint, ſed remaneant, &
„ cedant Communi Florentiæ.

Quan-

Quantum legere teneantur Doctores ſingulis diebus.

RUBRICA VI.

„ DOctores Ordinarij de mane le-
„ gant, & legere teneantur quo-
„ libet Anno a principio Studij uſque
„ ad Feſtum Paſcæ Reſurrectionis per
„ duas horas ad minus in voce, &
„ poſt Feſtum Paſcæ uſque ad Kalen-
„ das Auguſti ſaltem per unam ho-
„ ram, & ſemiſſem. Ordinarij vero
„ de Sero per totum tempus Anni le-
„ gant, & legere teneantur ſaltem per
„ horam, & ſemiſſem in voce, præ-
„ ter quam Doctores Practicæ Medi-
„ cinæ, quibus liceat legere ad minus
„ per horam.

Ubi, & quando fieri debeant Circuli, & Diſputationes.

RUBRICA VII.

„ DIſputationes Legiſtarum, & Dia-
„ lecticorum, & Artiſtarum,
„ quæ fieri debebant ſecundum alias
„ Ordinata ſtatim poſt Lectionem com-
„ pletam Doctoris legentis fiant, &
„ fieri debeant ſaltem per ſpatium

„ unius horæ immediate poſt comple-
„ tam lectionem Ordinariorum legen-
„ tium de ſero, & fiant Circuli, &
„ Diſputationes Legiſtarum ſub Propi-
„ leo, ſeu Lodijs Sancti Philippi, Dia-
„ lecticorum vero, & Artiſtarum in
„ loco conſueto VƷ. (*a*)

De Principio Lectionum, & Vacationibus.

RUBRICA VIII.

„ OMnes & ſinguli conducti, &
„ conducendi ad legendum pu-
„ blice in Studio Piſano debeant ſuum
„ le-

(*a*) Per *locum conſuetum* vix dubitari poſſe videtur intelligi Domum conductam a PP. Sanctæ Catharinæ, ubi olim *Scholæ Medicinæ tenebantur*, ut in Prima Diſſertatione Hiſtoricocritica pag. 25. certo, & antea inedito Documento demonſtravimus: Sicuti per *Lodias S. Philippi* intelligi Porticum dirutæ Eccleſiæ, in origine Juriſpatronatus *Hugonis*, aliorumque Dominorum de *Vicecomitibus* in Burgo Piſarum, prope Viam, qua nunc ad recentem *Plateam Frumentariam* itur, ut alibi diſtinctius ex *Troncio* in Annalibus adnotabitur.

„ legendi principium facere quolibet „ Anno de Menſe Octobris, ſtatim „ poſt Feſtum Diem Sancti Lucæ, & „ finire Kalendis Auguſti excluſive, „ neque fieri poſſint aliæ quam infra- „ ſcriptæ Vacationes Nativitatis, & „ Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu „ Chriſti, Carniſprivij, Purgationum, „ Sancti Joannis, & aliæ in infraſcri- „ ptis diebus.

„ Vacationes igitur Nativitatis Do- „ mini pronuncientur per Bidellos in „ Locis publicis Piſarum Gymnaſij in „ Vigilia Sancti Thomæ, durentque „ uſque ad primam diem Januarij in- „ cluſive.

„ Vacationes Carniſprivij incipiant „ a primo Die Dominico Hebdoma- „ dæ integræ ante Quadrageſimam uſ- „ que ad primam diem Quadrageſimæ „ incluſive, ita quod vacari poſſit a „ Lectionibus publicis primo die Qua- „ drageſimæ cum decem præcedenti- „ bus continuis diebus.

„ Vacationes Paſchatis Reſurrectio- „ nis durent quindecim dies, videlicet „ diem ipſum Paſchatis cum ſeptem „ præcedentibus, & totidem ſubſe- „ quentibus diebus.

„ Vacationes Purgationum fiant octo „ diebus de Menſe Maij, & in ea „ parte Menſis, quæ Rectori, ſeu

„ Vicerectori, & Conſiliarijs videbitur
„ conducibilior.

„ Vacationes propter Feſtum Sancti
„ Joannis Baptiſtæ ſint quarto, & vi-
„ geſimo Die Junij cum quattuor præ-
„ cedentibus diebus, & ſubſequentibus
„ duobus.

„ Fiant & Vacationes Die Sancti
„ Nicolai, Sancti Lucæ, Sancti An-
„ tonij Abbatis, & Sanctæ Catherinæ,
„ die Celebritatis, & Feſti cujuslibet
„ e quattuor Doctoribus Eccleſiæ, die
„ Mortuorum, & generaliter omnibus,
„ & ſingulis diebus, & Feſtis indictis
„ ab Eccleſia, ut cuſtodiantur.

„ Et inſuper fieri poſſint Vacatio-
„ nes omnibus diebus Veneris durante
„ Quadrageſima. Extra vero Quadra-
„ geſimam omnibus diebus Jovis in ca-
„ ſu, quo in labenti, ſeu currenti Heb-
„ domada nulla alia interceſſerit, vel
„ interceſſura ordinaria ſit Vacatio.

„ Quicumque autem Doctor condu-
„ ctus pro Studio Piſarum Vacationem
„ fecerit in alijs, & per ſingulos alios
„ dies quam ſupradictos, & quantum
„ tenetur ſecundum Ordinamenta in-
„ telligatur ipſo facto amiſiſſe, atque
„ amittat totum illud, quod ei con-
„ tingeret de Salario ea die, vel die-
„ bus, qua, vel quibus contrafecerit,
„ aut prædicta non obſervaverit habi-

„ to

„ to reſpectu ad numerum Lectionum, „ quæ leguntur in uno Anno, & ita „ tantum de Salario ejus retineatur, „ & aliæ Vacationes, vel aliter non „ fiant, nec indici poſſint, & aliter „ indictæ a Rectore, vel alijs non va- „ leant, nec obſerventur, non obſtan- „ tibus aliquibus alijs Statutis, vel Or- „ dinamentis in contrarium, vel ali- „ ter diſponentibus.

Quod Bidelli punctent defectus legentium.

RUBRICA IX.

„ BIdelli Studij Piſarum, & quili- „ bet eorum teneantur, & de- „ beant per ſingulos dies punctare de- „ fectus, & inobſervantias in legendo „ omnium & ſingulorum Doctorum „ conductorum ad legendum in Stu- „ dio Piſarum prædicto omni exceptio- „ ne remota, & de prædictis defecti- „ bus, & punctaturis Notam mittere „ quibuslibet quaternis menſibus ad Of- „ ficiales Studij, vel eorum Notarium „ ſub pœna caſſationis, & Floreno- „ rum inſuper decem largorum ſi præ- „ dicta non fecerint, & non obſerva- „ verint, quarum appunctaturarum di- „ midium deſtinatum intelligatur, &

„ applicitum ſit inſtaurationi, & apta-
„ mini Scholarum. Bidellis vero pun-
„ ctantibus quarta pars, reliquum au-
„ tem Monti Communis Florentiæ.

Qui ſint de Collegio.

RUBRICA X.

„ OMnes Doctores conducti, &
„ conducendi ad legendum in
„ Studio Piſano ſi doctorati fuerint in
„ aliquo publico Studio, & claro, &
„ de tali Doctoratu conſtet publicum
„ Inſtrumentum manu Publici Nota-
„ rij, in ea, & pro ea Facultate, in
„ qua legent publice in Studio Piſano
„ in Locis deputatis, ex nunc intel-
„ ligantur eſſe, & ſint de Collegio,
„ nec obſtet quod ſint Florentini, vel
„ Piſani. In Collegium quoque admit-
„ tantur, & recipi debeant omnes, &
„ ſinguli Doctores etiam non legentes,
„ quos Reverendiſſimus Piſarum Ar-
„ chiepiſcopus poſceret, dummodo ex
„ Privilegio ei a Summo Pontifice in-
„ dulto conſtet ipſum ſic petere poſſe,
„ datamque in eo ipſi facultatem, &
„ poteſtatem eſſe. Nullus autem Do-
„ ctor poſſit legere in aliqua Faculta-
„ te per Subſtitutum ſine expreſſa li-
„ centia Officialium Studij pro tem-

„ pore

„ pore exiſtentium ſub pœna Floreni „ unius largi pro qualibet Lectione le- „ cta per Subſtitutum, quæ, ſeu qui „ retineatur, & retineri debeat de Sa- „ lario talis contrafacientis, niſi legi- „ ptima ſubeſſet impedimenti cauſa, „ quæ per ipſos Officiales probaretur, „ & admitteretur.

Ad quæ teneantur Scholares doctorandi, & præſentati.

RUBRICA XI.

„ Quilibet doctorandus debeat an- „ te diem Examinis per aliquem, „ vel aliquos ex Doctoribus „ Collegij præſentari Domino Archie- „ piſcopo, aut ejus Locumtenenti, „ Dominoque Rectori, ac etiam Prio- „ ri Collegij. Promotores vero in qua- „ cumque ſint Facultate jurent coram „ Priore Collegij Studij Piſarum de „ ſufficientia noviter Laureandi. Prior „ autem juramentum deferre Scholari „ debeat præſentato, & interrogare „ utrum fecerit actus ſuos; Scholaris „ autem jure jurando reſpondere an „ fecerit. Et in Medicina quidem hæc „ ſolemnitas obſervetur, quod ipſe Do- „ ctorandus teneatur jurejurando fidem „ facere Priori de infraſcriptis, videli-

„ cet

„ cet quod audierit quattuor Annis
„ Scientiam Medicinæ in Studio ge-
„ nerali continuando Lectiones, & vi-
„ ſitando Diſputationes, & ea facien-
„ do, quæ ſtudioſi Scholares ſolent.
„ Item quod practicaverit ſaltem per
„ Annum cum aliquo Doctore famo-
„ ſo, vel aliquibus Doctoribus in Phi-
„ ſica. Si vero in Artibus examinari
„ voluerit teneatur ſuo juramento ut
„ ſupra fidem facere quod ſimiliter in
„ eis audierit quattuor Annos in Stu-
„ dio generali intrando, & continuan-
„ do ut ſupra. Qui non fecerit ſuos
„ actus ad examen non admittatur.
„ Quod ſiquis perjurus reperiretur pu-
„ niatur pœna perjurij, pro qua ſit
„ ſuppoſitus cognitioni Capitanei Piſa-
„ rum, & Rectori Studij, & habeat
„ locum inter eos præventio.

Quæ jurare debeat noviter Laureandus.

RUBRICA XII.

„ REctor poſſit licentiam ſibi da-
„ tam a Vicecancellario deferre
„ juramentum noviter Laureando his
„ Verbis. Domine noviter Laureande
„ vos jurabitis quattuor. Primum quod
„ non facietis, neque machinabimini
„ quicquam palam, vel latenter recte,
„ vel

„ vel indirecte adverſus Statum, & „ Libertatem Excelſi Populi, & Com- „ munis Florentiæ. Deinde quod obe- „ dietis mihi, & Succeſſoribus meis „ in rebus licitis, & honeſtis. Ter- „ tium eſt quod ſervabitis Statuta Uni- „ verſitatis Studij tam edita, quam „ edenda. Poſtremum quod laudabitis „ hoc Studium præ ceteris, eique fa- „ vebitis ubique pro viribus, & ita „ obſervetur ſuper omni Laureando in „ qualibet Facultate laureandus veniat.

Doctores Collegij interſint Punctis dandis ſub pœna.

RUBRICA XIII.

„ QUilibet Doctor Collegialis, ſi- „ ve ſit Doctor Juris Civilis, „ ſive Juris Canonici, ſive „ Artium, & Medicinæ teneatur, & „ obligatus ſit ſub pœna amiſſionis „ portionis habendæ in Doctoratu no- „ viter Laureandi intereſſe Punctis dan- „ dis ipſi Laureando, & tunc Vice- „ cancellarius committat cuipiam Do- „ ctori, quem mavolet ut Puncta tra- „ dat. Excipiuntur a dicta pœna qui „ ægrotarent, aut alia juſta cauſa eſ- „ ſent impediti, ſi tamen ut juſta fue- „ rit approbata per majorem partem

„ Col-

„ Collegij. Noviter autem Laureandus
„ per horam legere teneatur in exa-
„ mine, adverſuſque illum tres ad mi-
„ nus arguere debeant. Initioque re-
„ citationis primi Puncti omnes Do-
„ ctores interſint, niſi ſint ut ſupra
„ impediti, aliter amittant portionem
„ ipſo facto, qua pariter partita inter
„ alios augeatur portio ceterorum, qui
„ aderunt, ſingulas ſingulis facultati-
„ bus referendo.

*Quantum percipere poſſit Archiepiſco-
pus a Doctorandis.*

RUBRICA XIV.

„ ARchiepiſcopus Piſarum ab uno-
„ quoque Laureando accipere poſ-
„ ſit ſi in Jure tantum Civili gradum
„ ſumeret Doctoratus uſque in Flore-
„ nos tres Auri largos, & totidem ſi
„ in Jure Pontificio tantum. Sin Utri-
„ uſque Juris Doctoratus Inſignia ca-
„ peret, petere, ac recipere poſſit Ar-
„ chiepiſcopus uſque in Florenos quin-
„ que largos. Sed ab Laureando ſo-
„ lum in Artibus Florenos duos lar-
„ gos. In Medicina tantum Florenos
„ duos. Sin in utroque percipere poſ-
„ ſit tantum uſque in Florenos tres
„ largos. Et prædicta locum habeant,

„ &

„ & obſerventur ſi & in quantum non
„ oſtendat jure ſui Privilegij, quod a
„ Papa conceſſum habet, plus petere,
„ & conſequi poſſe. Notarius autem
„ Univerſitatis habeat, & poſſit exi-
„ gere pro Sigillo, & Charta, & Scri-
„ pturis Privilegij noviter Laureati Flo-
„ renum unum largum, & non ultra.
„ Conſiliarijs non dentur Cyrothecæ.
„ Cubicularius Archiepiſcopi nihil pe-
„ tat, nihil accipiat. Nullus præterea
„ alius quicquam petere poſſit ab ipſo
„ Laureando, nec ipſe dare teneatur.

De Numero Numerariorum Doctorum Artiſtarum, & Medicorum.

RUBRICA XV.

„ NUmerus numerariorum ſit nu-
„ merus Doctorum Septem, eo,
„ quo fuerint Ordine recepti in Col-
„ legium, ita quod qui prius eſt in
„ Collegium receptus prius ſuccedat
„ ad Numerariatum. Quod ſi duo eſ-
„ ſent eodem tempore ſuſcepti æqua-
„ liter in Collegium, & eſſet inter
„ eos de Numerariatu controverſia,
„ includantur, ſeu imburſentur eorum
„ nomina, & ſorte trahantur, & qui
„ prior extractus fuerit, prius ad Nu-
„ merariatum admittatur. Ultra dictos

„ ſe-

„ ſeptem , reliqui omnes intelligantur.
„ Supernumerarij , qui ſi fuerint le-
„ gentes habeant auctoritatem in dan-
„ do Voces in approbando , & repro-
„ bando Examinatos , & in reliquis
„ diſpenſationibus , & Partitis faciun-
„ dis per Collegium , hoc expreſſe de-
„ clarato , quod Doctor Legens quam-
„ vis fuerit poſterius receptus in Col-
„ legium , præcedat non Legentem ad
„ Numerariatum , & non Legentes non
„ habeant neque pecunias , nec aucto-
„ ritatem approbandi , vel improbandi
„ aliquod Partitum Collegij , ſed tan-
„ tum intereſſe poſſint examinibus , &
„ arguere , & habere Colationem . Cum
„ autem deficeret aliquis ex dictis ſe-
„ ptem Numerarijs , loco ejus ſucce-
„ dat ille ex Supernumerarijs , qui pri-
„ mus Collegium ingreſſus ſit . Quod
„ ſiquis ex Numerarijs non adeſſet ,
„ vel intereſſet actibus aliqua juxta
„ cauſa impeditus , Legitima vero cau-
„ ſa intelligatur ſi foret publica Do-
„ minij Florentiæ , vel Collegij , vel
„ ægrotatio , vel mors Patris , Matri-
„ ſve , Uxoris , vel Filij , aut Fratris ,
„ & quæcumque legitima , & juſta
„ probaretur a majori parte reliquo-
„ rum Numerariorum , & ſi is jura-
„ verit illam fuiſſe cauſam , tum in
„ eo caſu pro præſenti habeatur .

De

De Electione Prioris Collegij Artiſtarum, & Medicorum, ejuſque Officio.

RUBRICA XVI.

„ UT autem Numerariorum Col„ legij Artiſtarum, & Medico„ rum cujuſvis oneris & honoris par„ ticeps exiſtat, hic modus ſervetur. „ Finito Ordine eorum, qui Anno „ præſenti legerint deſcribantur Nomi„ na Doctorum in parvis Cedulis, & „ plicentur, atque includantur in ali„ qua Pixide ad id deputanda, quæ ſtet „ penes Notarium Collegij, & per „ tres dies ante finem ſui Officij te„ neatur Prior Collegij tunc in Offi„ cio exiſtens convocari facere Colle„ gium, & extrahere fideliter unum „ ex Nominibus Doctorum incluſis in „ dicta Pixide, & cujus Nomen ex„ tractum fuerit ille ſuccedat in Offi„ cio Prioratus. Quod ſi contingeret „ eum tunc eſſe extra Civitatem, ac „ eſſet rediturus intra quindecim dies „ proximos ſervetur ei locus, & Prior „ antiquus proſequatur Officium uſque „ ad reditum ejus, ſi vero non con„ ſtaret ipſum rediturum eſſe intra di„ ctos quindecim Dies, extrahatur al-

„ ter

„ ter, qui ſi abeſſet, & reverſurus
„ non ſperaretur intra dictum termi-
„ num alius rurſus extrahatur, & ſic
„ obſervetur, & fiat donec habeatur
„ unus, qui poſſit eſſe, & ſit Prior.
„ Invento autem, & conſtituto per
„ extractionem Priori jusjurandum de-
„ feratur a veteri Priore, quod pro
„ viribus ſervabit, & ſervari curabit
„ Statuta Collegij, procurando aſſidue
„ honorem, & bonum Statum ejus.
„ Quo juramento per novum Priorem
„ ſuſcepto teneantur omnes Doctores
„ Collegij ſimiliter & Bidelli in ma-
„ nibus tunc novi Prioris jurare, quod
„ ſervabunt Statuta, & parebunt Prio-
„ ri in rebus licitis, & honeſtis, ac
„ examinibus Scholarium ſecundum eo-
„ rum veram Conſcientiam Cedulam
„ approbatoriam, vel reprobatoriam
„ dabunt omni amore, & odio amo-
„ tis. Duret autem hujuſmodi Offi-
„ cium Prioris per tres menſes ſolum,
„ & ſi contingeret aliquem Priorem
„ ſe abſentare a Civitate, poſſit loco
„ ejus ſubſtituere aliquem ex Nume-
„ rarijs, quem volet pro tempore ſui
„ Officij. Officium autem dicti Prio-
„ ris ſit facere Doctores dicti Collegij
„ convocari ad locum idoneum pro
„ factis Collegio pertinentibus & ei-
„ ſdem proponere quæ ad Collegium

„ per-

„ pertinent, & in ſuffragia, Partitum-
„ que mittere, Doctoreſque præcedat
„ in Actibus publicis, eiſque præſit,
„ reguletque examina Doctorandorum.
„ Habeat præterea auctoritatem dictus
„ Prior condemnandi Numerarios, ac
„ Supernumerarios, & Bidellos non
„ parentes Mandatis ejus uſque ad ſum-
„ mam Solidorum triginta, & ſi ad-
„ monitus per Priorem, aut Bidellum
„ ſolvere recuſaverit, vel neglexerit,
„ intelligatur eſſe excluſus a Colle-
„ gio, & non poſſit reaſſumi in Col-
„ legium niſi de voluntate majoris par-
„ tis Collegij ſibi facta fuerit gratia
„ ſpetialis, ſolvendo tamen Collegio
„ Florenum unum Auri largum. O-
„ mnes autem Pecuniæ quacumque de
„ cauſa devolutæ, vel devolvendæ ad
„ Collegium Artiſtarum, & Medico-
„ rum deponantur, & deponi debeant
„ apud Priorem pro tempore exiſten-
„ tem dicti Collegij, qui Prior ſaltem
„ intra tres dies proximos a die finiti
„ Officij ſui pecunias illas, quæ in ſuis
„ manibus reſtarent conſignare tenea-
„ tur novo Priori ſub pœna dupli, &
„ triduo ante finem Officij eligantur,
„ & deputentur a Collegio duo de nu-
„ mero dicti Collegij ad revidendum
„ rationes dicti veteris Prioris, & in
„ Saldo ponendum ſub pœna Floreno-
„ rum

„ rum duorum largorum pro quolibet „ eorum, ſi intra dictos tres dies ipſam „ rationem non reviderint, & non in „ ſaldo poſuerint.

De Syndicatu Prioris.

RUBRICA XVII.

„ UBi novus Prior ceperit Offi- „ cium debeat intra octo dies „ proximos convocare Collegium cau- „ ſa Syndicandi præcedentem Priorem „ & proponere Doctoribus ſi ſit ali- „ quis, qui velit conqueri de præteri- „ to Priore, & dicere ſe ab eo læ- „ ſum, & affectum injuria, vel ipſum „ Priorem injuſte ſe geſſiſſe, & con- „ tra formam Statutorum Univerſita- „ tis, & auditis objectionibus adverſus „ veterem Priorem, ſi quis objecerit, „ & reſponſionibus ejus teneatur no- „ vus Prior emittere veterem, & obij- „ cientes extra Collegium, & deinde „ mittere in Suffragium abſolvenduſne „ ſit, an condemnandus antiquus Prior, „ & prout majori Doctorum parti vi- „ ſum fuerit, procedatur ad abſolutio- „ nem, vel condemnationem.

Quæ

Quæ facere teneantur Doctores Collegij.

RUBRICA XVIII.

,, QUilibet Doctor teneatur venire
,, ad Collegium quando ſibi præ-
,, ceptum fuerit per Bidellum, vel
,, alium Nuntium idoneum mandato
,, Prioris, vel perſonaliter, vel ad Do-
,, mum habitationis ipſius nuntiati.
,, Et ſimiliter venire teneatur ad dan-
,, dum Puncta, atque ad Examina, &
,, Conventus hora ſignata ſibi per Bi-
,, dellum, niſi legitima cauſa fuerit
,, excuſatus, legitimam intelligendo cau-
,, ſam, ſi per infirmitatem, vel publi-
,, cam cauſam Dominij Florentiæ, aut
,, Collegij, vel per mortem Patris,
,, Matris, Uxoris, Filij, aut Fratris,
,, vel omnem aliam cauſam impedire-
,, tur, quæ a Collegio, vel majori
,, parte ejus fuerit approbata legipti-
,, ma, & Doctor non venieus jurave-
,, rit illam fuiſſe cauſam, quare non
,, venerit, ut ſupra de Succeſſione Nu-
,, merariorum dictum eſt. Quicumque
,, autem de Doctoribus Collegij con-
,, tra fecerit, ſeu nulla legitima cauſa
,, impeditus non venerit, amittat por-
,, tionem, quam accepturus eſſet a
,, Doctorando ſi veniret, quæ portio-
,, nis amiſſio ſit loco pœnæ.

De

De Ordine Inceſſus Doctorum Collegij.

RUBRICA XIX.

„ NE qua vero inter Doctores Col-
„ legij oriri poſſit contentio de
„ ordine Inceſſus hic ordo ſervetur
„ quod ubi non ſit diverſitas Faculta-
„ tum, in quibus graduati ſint, prior
„ in gradu prior ſit in inceſſu, ubi
„ vero eſſent Doctores Artium, & Me-
„ dicinæ ſimul, ille incedat prior, qui
„ prior in Medicina Doctor extiterit.
„ Doctor Medicinæ tantum præcedat
„ Doctorem Artium tantum. Doctor
„ utriuſque Facultatis præcedat eum,
„ qui ſit in altera tantum Doctor.

De his, qui in alio Studio ſtuduerint quomodo accipiendi ſint.

RUBRICA XX.

„ NUllus poſſit accipere Gradum
„ Doctoratus in Studio Piſarum,
„ niſi ſtuduerit in eo, & examinatus,
„ & probatus fuerit in illa Scientia,
„ in qua doctorari velit. Si quis au-
„ tem adventitius Piſis doctorari cupe-
„ ret, & affirmaret ſe ſe examinatum,
„ & probatum fuiſſe in alio Studio

„ Ge-

„ Generali, de quo tamen fidem facere „ teneatur per publicum Inſtrumentum „ manu publici Notarij: nihilominus „ debeat priuſquam præſentetur exami- „ nari per duos Doctores Collegij de „ Numerarijs per Collegium ipſum de- „ lectos, qui Sacramento ſuo referant „ quid eis videatur de Doctrina talis „ Adventitij, & ſecundum eorum judi- „ cium admittatur, vel non admittatur „ ad Præſentationem, in qua præſenta- „ tione ſi contingat eum admitti, te- „ neatur taliter Doctorandus fidem face- „ re, ut ſupra in Statuto de Præſenta- „ tione Scholaris doctorandi fit mentio, „ & per hoc ab expenſis ordinatis non „ relevetur, quinimmo quia Bidelli ab „ Adventitijs nullas Collectas, aut Emo- „ lumenta receperint, poſſint, eiſque li- „ ceat petere, & accipere, & ſic eis a „ tali Adventitio doctorando ſolvi de- „ beat Libra una in pretium laboris eo- „ rum ſuſcepti in congregando Collegio.

De Aſſignatione Punctorum.

RUBRICA XXI.

„ SCholari examinando in Medicina „ Puncta hæc aſſignentur. Unum „ in Libro Tegni Galieni, Alterum in „ Libro Aphoriſmorum Hyppocratis, „ Utrumque per aliquem Collegialium

„ Doctorum in præſentia Domini Ar-
„ chiepiſcopi, vel ejus Locumtenentis,
„ aperiendo Librum caſu, & coram Re-
„ ctore Studij, atque Priore Collegij,
„ & omnibus ijs de Collegio, qui ad-
„ eſſe debent, niſi juſtam abſentiæ cau-
„ ſam habuerint, & punctando ante,
„ & retro duas Chartas, ſi forte aperi-
„ tio caderet ubi punctus non eſſet ido-
„ neus. In Dialectica duo quoque Pun-
„ cta aſſignentur. Unum in Libro Po-
„ ſteriorum, alterum in Libro Perhier-
„ menias, ſi in ſola Logica quiſpiam
„ velit examinari. Si vero examinandus
„ quis ſit in ſola Philoſophia, duo item
„ Puncta dentur in naturali Philoſophia.
„ Unum in Libro Phiſicorum, & alte-
„ rum in eo, qui eſt de Anima. Sin
„ autem in Logica ſimul, & Philoſo-
„ phia examen faciundum ſit, ut ple-
„ rumque evenit, tunc aſſignentur duo
„ Puncta, hujuſmodi unum in Libro
„ Phiſicorum Ariſtotelis, & alterum in
„ Libro Poſteriorum. In Grammatica
„ duo Puncta dentur. Unum in Priſcia-
„ no Majore, alterum in Auctore mo-
„ dorum ſignificandi. In Rhetorica au-
„ tem in Libro Rhetoricæ novæ Tullij.
„ Et in Geometria in Libro Elemento-
„ rum Euclidis. De Aritmetica, & Mu-
„ ſica in Libris Arithmeticæ, & Muſi-
„ cæ Boetij. De Aſtrologia in Libro
„ Speræ, aut in prima, ſecunda, ter-

„ tia,

„ tia, & quarta Dictione Almageſti Ptolomei, aut in Theorica Planetarum, „ & in Alchabitio.

De Modo legendi, & arguendi in examine.

RUBRICA XXII.

„ QUiſquis examinabitur teneatur in „ Examine primum legere Lectiones ſuas ſibi aſſignatas per „ Puncta, legendo Textum ſimpliciter, „ ut jacet, deinde introducendo partem, „ & ſubcontinuando præcedentibus, & „ dividendo, ac de parte ad partem „ procedendo, ſententiando, & partes „ ſententiatas legendo ſine quæſtionibus, „ & notabilibus. Quo facto Doctores illius Facultatis, in qua fiet Examen, „ incipiant arguere contra dicta in Lectionibus, Incipiente Juniore Doctore, & procedendo per ordinem a primo uſque ad tertium, vel quartum. „ Verum enim vero liceat variare hunc „ ordinem ſi Priori videbitur expedire. „ Et poſſit quilibet Doctor duas facere „ rationes contra dicta ipſa in Lectionibus, & ad reſponſa data replicare „ ſemel, aut bis ad unamquamque rationem, & non ultra, niſi per Dominum Priorem Collegij, aut Reverendiſſimum Dominum Archiepiſco-

„ pum, vel ejus Locumtenentem venia,
„ ſeu licentia replicandi ultra daretur.
„ Poſſit & talis Examinandus proponere
„ unam quæſtionem extra lectionem in
„ una tantum facultate, in qua exami-
„ natio ſit cum duobus Argumentis.
„ Poſſit etiam petere unum Problema.
„ Liceat inſuper cuivis Doctori veniam,
„ ſeu Licentiam impetrare loquendi ſu-
„ per aliquo Puncto occurrente bono,
„ eaque impetrata tantum eloqui poſſit.
„ In locum vero Examinis ingredi ne-
„ mo poſſit, niſi Cancellarius, vel Vi-
„ ce-Cancellarius Piſani Studij, & Do-
„ ctores Collegij & Rector Univerſita-
„ tis Artiſtarum, Medicorumque, qui
„ quidem arguere poſſit ſecundum for-
„ mam Doctoribus præbitam. In ap-
„ probando tamen, vel reprobando, ſe
„ ſe nullatenus intromittat.

De Poſitione Doctorum poſt Examen.

RUBRICA XXIII.

„ PEracto, & expleto Examine Exa-
„ minatus cum Promotoribus emit-
„ tatur, & amoveatur ab loco facti
„ Examinis, & tunc Notarius Univer-
„ ſitatis tradat ſingulis Doctoribus binas
„ Cedulas, quarum in altera Scriptum
„ ſit Approbo, in altera Reprobo. Sin-
„ guli autem ſingulas præbeant Vice-

„ can-

„ cancellario continentes vel approbationem, vel reprobationem, prout eorum erit judicium, & libere volent. Poſt hæc revocetur Examinatus una cum ſuis Promotoribus ſedente eo ſuo in loco inchoetur, & fiat ſolemnis Colatio inter omnes, qui Examini ejus interfuerunt.

De Diſpenſationibus.

RUBRICA XXIV.

„ SI contingeret quod alicui Scholari gratis daretur Gradus ex toto, vel ex parte in Artibus, & Medicina, vel in altera tantum ipſarum Facultatum propter merita ejus, vel ad beneplacitum Conferentium, teneantur, & debeant omnes Participantes emolumentorum pro talibus Gradibus condeſcendere dictæ Gratiæ, præter Bidellos, & Archiepiſcopum, vel ejus Locum Tenentem, quorum in arbitrio ſit exigere, vel condonare portionem ſuam.

De Officio, & Obſervatione Bidellorum.

RUBRICA XXV.

„ BIdelli, & quilibet eorum, cui & quotiens a Priore viſum fuerit, teneantur ire perſonaliter ad Domum ejus, & mandata exequi pro viribus

„ ea quæ honeſta ſint, & teneantur per-
„ ſonaliter convenire Domi Doctores
„ Collegij mandato Prioris, eiſque præ-
„ cipere quæcumque in mandatis habue-
„ rint, ni forte illos foris offendant,
„ atque reperiant. Si quem nec in via,
„ neque Domi reperiant, dimittere de-
„ beant alicui Domeſtico Cedulam Con-
„ vocationis, quæ cauſam locum tem-
„ pus contineat, quo venire adeſſeque
„ debeat citatus Doctor. Ad hæc hono-
„ rare, vereri, & obſervare debeat o-
„ mnes, & ſingulos Doctores Collegij,
„ maxime in Actibus publieis quibuſcum-
„ que. Ac etiam præſto eſſe in Congre-
„ gationibus Doctorum, & Examinibus
„ tam publicis, quam privatis parati
„ parere, & obedire Priori ad ea, quæ
„ poſcerentur, quæque opportuna Con-
„ gregationi forent. Qui ſi prædicta,
„ vel aliquid eorum facere neglexerint,
„ utercumque neglexerit mulctari, &
„ condemnari poſſit a Priore, Collegio-
„ que, vel duabus eorum partibus uſque
„ in Summam Solidorum triginta, Ca-
„ meræ Collegij applicandorum. Sin ali-
„ quem ex Doctoribus ipſis invitare, &
„ convocare neglexerit, teneatur Docto-
„ ri non monito, nec invitato ſatisfa-
„ cere ex eo, quod propter Bidelli ne-
„ gligentiam perdidiſſet. An vero Bi-
„ dellus requiſitionem fecerit, ſtetur re-
„ lationi ejus cum juramento.

De

De Immunitate Rectoris, & Scholare Paupere gratis conventuando.

RUBRICA XXVI.

„ CUm reverentiæ cauſa tum ut Scho-
„ larium voluntati ſatisfiat, ac im-
„ munitate Rector Univerſitatis Artiſta-
„ rum & Medicorum honeſtetur, ut exa-
„ minetur, & graduetur in Artibus, &
„ Medicina, vel in altera dictarum Fa-
„ cultatum gratis remittendo ei pecu-
„ niam, quam pro talibus Actibus ſol-
„ vere teneretur, atque hoc quidem ſi
„ cum laude & gratia Officio functus
„ ſit, & prudenter, & moderate geſſe-
„ rit ſe ſe in Magiſtratu. Liceat & Prio-
„ ri, qui Nativitatis, & Priori, qui Re-
„ ſurrectionis tempore Domini Noſtri
„ Jeſu Chriſti erit in Prioratu referre,
„ ac proponere de uno Examine, atque
„ Conventu in altera Facultatum, Ar-
„ tium, & Medicinæ cuipiam Perſonæ
„ pauperi gratis conferendo per intui-
„ tum charitatis, & miſericordiæ, ubi
„ occurrerit digna Perſona tali munere,
„ in quo Vota majoris partis Collegij
„ ſint attendenda, nemo enim invitus
„ ad elemoſinam faciendam compellen-
„ dus eſt. Illud in prædictis perſancte
„ obſervetur, ut cum fuerit propoſitum
„ primo in Artibus, ſecundo in Medi-

 „ ci-

„ cina proponatur. Sin primo in Medi„ cina propoſitum fuerit, ſecundo non „ niſi in Artibus proponi liceat. Quic„ quid aliter, vel contra fieret ſit ipſo „ jure nullum.

De Promovendo in Cyrurgia.

RUBRICA XXVII.

„ QUilibet volens promoveri ad gra„ dum Cyrurgiæ teneatur audiviſſe „ in Studio generali ſaltem per „ duos Annos Cyrurgiam, & in dicta „ Arte ſaltem uno Anno practicaſſe, „ vel cum aliquo Doctore practicante „ in dicta facultate iviſſe videndo, & „ diligenter ſcrutando cum dicto Docto„ re caſus in prædicta Arte contingen„ tes, & deinde poſſit præſentari per „ Doctorem aliquem de Collegio Domi„ no Rectori, vel Vice Rectori, & Do„ mino Priori, vel Vice Priori, quibus „ teneatur fidem facere de prædictis „ cum ejus Sacramento. Deinde Domi„ nus Prior poſſit aſſignare diem, & „ horam Punctorum aſſumendorum. Quæ „ Puncta ei aſſignentur in Fen tertia, „ aut quarta quarti Canonis Avicennæ. „ Quibus aſſignatis teneatur Dominus „ Prior ei aſſignare horam examinis, „ quod examen fieri debeat in Domo „ Fratrum Heremitarum Sancti Augu-

„ ſti-

„ ſtini, in quo examine ſervetur mo-
„ dus, & ordo, qui dictus eſt in alijs
„ examinibus. Teneatur præterea Pro-
„ movendus dare Collegio prædicto Flo-
„ renos quinque Auri diſtribuendos ut
„ infra videlicet dando Domino Rectori
„ Libras tres, Bidellis Libras duas, Fra-
„ tribus prædictis pro loco ſolidos quin-
„ decim, reliquum vero ad Colationem
„ devolvatur. Quibus peractis ſi a Do-
„ ctoribus, aut a majori parte Docto-
„ rum præſentium talis examinatus fue-
„ rit approbatus, teneatur Dominus Prior
„ eidem dare Auctoritatem practicandi
„ in Cyrurgia, & portandi aurum, &
„ dorſa variorum dumtaxat, rogetque
„ Dominus Prior Tabellionem publi-
„ cum, ut exinde auctenticum conficiat
„ Inſtrumentum.

De Sigillo Univerſitatis.

RUBRICA XXVIII.

„ Sigillum Univerſitatis Studij Piſa-
„ rum contineatur per omne futu-
„ rum tempus penes Rectorem, vel Vi-
„ cerectorem Studij pro tempore exi-
„ ſtentem, ad eumque ſolum pertineat
„ obſignare Bullettas Librorum, & Ar-
„ neſium Scholarium accedentium, vel
„ recedentium a Studio Piſarum. Bul-
„ lettæ vero ſcribi, & ſubſcribi debeant

„ a Notario Univerſitatis, quicquid ali-
„ ter fieret non valeat, & qui contra
„ fecerit puniatur arbitrio Officialium
„ Studij, & quarta pars erit Notifi-
„ catoris.

Quod Statuta Supraſcripta non interpretentur.

RUBRICA XXIX.

„ STatuta omnia ſupraſcripta intelli-
„ gantur ſimpliciter ut verba ſo-
„ nant, neque interpretentur in alia ſen-
„ ſa, quam quæ manifeſta ſunt, plane-
„ que percipiuntur, ſed obſerventur, &
„ obſervari poſſint, & debeant omni ex-
„ ceptione remota non obſtantibus ali-
„ quibus alijs Statutis, vel Ordinamen-
„ tis, aut Conſuetudinibus in contra-
„ rium, vel aliter facientibus, vel di-
„ ſponentibus, & ſub pœnis ſupra or-
„ dinatis. Ubi vero pœna non adjecta
„ eſſet, vel declarata, intelligatur appo-
„ ſita, & irrogata pœna Florenorum
„ duorum largorum cuilibet contrafa-
„ cienti, quæ ſolvenda ſit Camerario
„ Univerſitatis prædictæ, & quarta pars
„ ejus ſit Rectoris exigentis eam ſi &
„ poſtquam exigendam curarit, & ad
„ introitum Cameræ Univerſitatis ad-
„ miſſa, & deſcripta fuerit, nec poſſit
„ ſuper aliquo per Statutum determina-

„ to

„ to diſpenſari, niſi prius explicata cau-
„ ſa diſpenſationis cuique Doctori fuerit
„ per diem unum ante horam diſpenſa-
„ tionis, & a majori Doctorum parte
„ approbata exquiſitis eorum voluntati-
„ bus per fabas nigras, & albas, vel
„ ballottas. Et præſtito ante omnia ju-
„ ramento, quod non prorumpent ad
„ aliquid diſpenſandum, quod præter ho-
„ norem utilitatemve Collegij, ſeu Stu-
„ dij eſſe credant. Nec tamen valeat,
„ nec ullam executionem mereatur, nec
„ ullius ſit efficaciæ, vel effectus aliqua
„ talis diſpenſatio, niſi prius Florentiæ
„ confirmata fuerit ſaltem intra Men-
„ ſem tunc proxime futurum ab Officia-
„ libus Studij pro tempore exiſtentibus.
„ Pro his vero, de quibus ſupradicta ſta-
„ tuta non diſponerent, recurratur, &
„ ſtetur diſpoſitioni veterum Statuto-
„ rum. (*a*)

Ad curandam vero, intra certos æqui-tatis juſtitiæque limites, prædictorum ob-ſervantiam, *ſub die nona Novembris eju-ſdem Anni* 1478., deliberatum fuit lite-ras tranſmitti ad *Jo: Dom. Bartholomæi de Orlandinis Poteſtatem & Commiſſa-rium Civitatis Piſarum*, quæ contineant, quod *Ei placeat obſervare Statuta Uni-*

C 6 *ver-*

(*a*) Ex Lib. 2. Offic. Reform. Florent. a pag. 2. ad pag. 11., ubi et. præd. Epiſtol.

verſitatis Studij Piſarum vigentia, & Conſuetudines Scholarium, quas exiſtimaret non parituras Reipublicæ Florentinæ aliquod detrimentum: quia Scholares libertatem amant plurimum, eaque dempta Diſcedunt: nec tractari poſſunt in modum noſtratum, vel ſubditorum. Quod ſi fecerit, fecerit rem gratam Officialibus &c.

Nondum duo Menſes efluxerant quum re melius perpenſa, nonnihil immutandum, declarandum, ſupplendumque cenſuerunt: quod utique, publica auctoritate, ſic fuit exequutum.

„ In Dei Nomine Amen. Anno Domi-
„ ni MCCCCLXXVIII. Indictione XII.
„ Die vero Secunda Januarij. Supradicti
„ Officiales Studij ſimul in ſufficienti nu-
„ mero congregati in Palatio Populi Flo-
„ rentini pro eorum Officio exercendo,
„ quamvis abſente Magnifico Viro Lau-
„ rentio Medice Petri Filio eorum Col-
„ lega, ſed in dictis quattuor integra
„ remanente auctoritate. Cum fuiſſet eis
„ nuntiatum in varias trahi ſententias
„ quædam Statuta ex ſupraſcriptis in va-
„ rijs locis, & cupientes mentem Sta-
„ tuentium aperire, & quæ utilia ſperent
„ futura etiam addere; Ideo celebrato in-
„ ter ipſos omnes ſolemni, & ſecreto
„ ſcrutinio ad fabas nigras, & albas, &
„ obtento partito ſecundum ordinamen-
„ ta declaraverunt, addiderunt, & de-
„ creverunt =

„ Quod

„ Quod uno Anno Rector Studij Piſarum ex Tranſalpinis Nationibus eligatur, altero ex Ciſalpinis, eoque Anno, quo Ultramontanis contingit, non poſſint concurrere ad petitionem Rectoratus niſi Ultramontani, ſi reperirentur qui eſſe vellent. Quod ſi nullus inveniretur, eligatur ex Ciſalpinis non ſuppoſitis Juriſdictioni Communis Florentiæ. Cum autem Citramontanis continget, ſimiliter concurrere nequeant niſi Citramontani non ſuppoſiti dictæ Juriſdictioni Communis Florentiæ. Quod ſi ex his nullus inveniretur, qui eſſe vellet, tunc ad Florentinos, & Juriſdictioni eorum ſuppoſitos res devolvatur. Voces in creatione Rectoris non niſi per Scholares externos juratos cujuſcumque ſint generis, vel conditionis, qui quidem ſubjecti ſint imperio, & juriſdictioni Rectoris, & non per alios quoquo modo dari, vel reddi poſſint. Hoc addito & declarato quod Doctores externi, qui audirent in aliqua Facultate ut Diſcipuli & Scholares, neque docerent publice, vel privatim alios, cenſeantur in dicto actu eligendi Rectoris Scholares. Doctores autem, & Scholares, quibus reddere non licet voces, non immiſceantur in Clauſura his, qui reddituri ſunt. Nec prope illos, qui arcana vocum tenent, &

„Chy-

„ Chyrographa ſuffragiorum ſuſcipiunt ,
„ conſiſtere liceat ſub pœna Rectoris ,
„ vel eo non exiſtente, Vicecancellarij
„ arbitrio irroganda, ſed procul maneant
„ longeque proſpectent, adeo ut nec im-
„ pedimento eſſe Secretarijs, aut Comi-
„ tijs, ſeu reddituris voces, neque ſub-
„ ornare quemquam poſſint , atque ita
„ ſervando eorum præſentia non irritet
„ actum. Chyrographa, ſeu Cedule fiant
„ ex papiro puro, & magnitudine, &
„ qualitate pares, ne poſſint extrinſecus
„ notatæ agnoſci, alioquin non acce-
„ ptentur a Secretarijs. Vocem reddi-
„ turi jurent in manibus Vicecancellarij
„ ſeſe daturos vocem, & electuros quem
„ omnium optimum, & ſuper omnes
„ idoneum cognoverint, aut revera cre-
„ diderint.

„ Super tertio Statuto decreverunt quod
„ quicumque Conſiliarius citatus ſecun-
„ dum ordinem, non venerit, & ſe non
„ congregaverit, incidat in pœnam ſo-
„ lidorum viginti p. toties quoties non
„ paruerit, quæ pœna ærario Univerſi-
„ tatis pertineat. Hoc addito, quod
„ cum ter Contumax fuerit ipſo jure
„ privatus officio intelligatur, & alius
„ ejus loco ſuſtituatur pro reliquo tem-
„ poris officio, ſecundum formam Sta-
„ tutorum de ſubſtitutionibus Conſilia-
„ riorum loquentium.

„ Super decima Conſtitutione declara-

„ ve-

„ verunt, quod Doctores U. J. intelli-
„ gantur de utroque Collegio. Nec ob-
„ ſtet, quod in Jure Canonico, vel in
„ Jure tantum Civili publice legant,
„ ideſt in altera dictarum duarum Fa-
„ cultatum, Et qui Doctor ſit in una
„ ipſarum dumtaxat pro ea tantum Fa-
„ cultate ſit de Collegio. Addentes quod
„ ubi loquitur Publico Inſtrumento ma-
„ nu publici Notarij conſtare debere,
„ quod quis Doctoratus ſit in aliquo
„ Claro Gymnaſio, ad hoc ut eſſe de
„ Collegio poſſit, habeat locum in his,
„ & pro his ſolum, qui deinceps con-
„ ducentur ex integro & de novo, &
„ non pro his, qui hactenus alioquin
„ conducti fuerunt, etiamſi ſemel, aut
„ pluries reconducerentur.

„ Super quarto decimo Statuto decla-
„ raverunt, quod intelligatur dictum de
„ Notario Collegij, id quod de Nota-
„ rio Univerſitatis dictum fuit, & No-
„ tarius Collegij ſit, qui Florenum unum
„ largum percipere poſſit pro Sigillo,
„ & Scripturis, prout in dicto Statuto
„ continetur.

„ Itemque ut Doctores gravitatem
„ quampiam præſeferant, & Scholares
„ habitu Scholaſtico incedant decorum-
„ que ſervent, Confirmaverunt, & ſeu
„ denuo conſtituerunt, quod Statutum
„ Vetus poſitum ſub *Rubrica CVIII. de*
„ *Veſtimentis Scholarium, & Veſtimento-*

„ *rum*

„ *rum nomine* obſervetur in omnibus, & „ per omnia, & quoad omnes, exceptis „ Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, & „ Nobiliſtis ſub infraſcripta pœna. Addentes quod Doctores omnes, & ſinguli, ſaltem hi, qui publice legunt, „ teneantur, & debeant portare in humeris, ſive ut ajunt in Spatulis Caputium, ſi Capiti non indidiſſent ſub „ pœna ſolidorum quadraginta p. cuilibet contrafacienti auferenda, & pro „ qualibet vice: cujus quarta pars ſit „ Delatoris, ſeu Notificatoris, altera „ quarta pars Rectoris exigentis eam, „ reliquum ærarij Univerſitatis. Mandantes ut omnia, & ſingula ſcripta „ ſupra inviolabiliter obſerventur, aliquibus in contrarium non obſtantibus, „ ſane, & recte intelligendo. (*a*)

Sub die 12. Februarij, eodem Anno 1478. more Florentinorum elabente, hæc quoque ſuperaddita Diſpoſitio = „ *Item ſervatis &c. providerunt &c.* quod Notarius Univerſitatis Studij Piſarum teneatur, & debeat ſaltem intra octo „ dies, poſtquam aliquis Doctoratus in „ aliqua quacumque Facultate fuerit; ſive Doctoris, ſive Magiſtri Titulum „ ſumpſerit, eum deſcribere in quodam

„ Li-

(*a*) In præcit. Volum. II. Reformat. ag. 17.

„ Libro propterea deputando expenſis
„ Univerſitatis prædictæ, qui contineat
„ nomen, prænomen, & cognomen Fa-
„ miliæ, & alias demonſtrationes, ap-
„ ponendo diem, quo laureatus fuerit;
„ & nomen Gentis, & Facultatis, &
„ nomina Promotorum, & ſaltem duo-
„ rum Teſtium fide dignorum, qui pro-
„ bent de viſu. Et Rector Magnificus
„ Univerſitatis procuret, quod dictus Li-
„ ber efficiatur quanto citius fieri pote-
„ rit, & quod Bidelli Studij ſignificent,
„ & nutrient d. Notario de tempore in
„ tempus quicumque Doctoris, vel Ma-
„ giſtri Inſignia acceperit ſecundum or-
„ dinem; & dicti Bidelli teneantur fa-
„ cere talem notificationem d. Notario
„ Univerſitatis de quolibet Doctorato
„ ſaltem intra tres dies proximos, poſt-
„ quam quis doctoratus fuerit ſub pœna
„ Librarum duarum pro quovis non no-
„ tificato, & qualibet vice eis auferen-
„ da, & dictæ Univerſitati applicanda.

„ Item Statuerunt quod quilibet Scho-
„ laris eligendus & deputandus ad ali-
„ quam Lecturam Extraordinariam Die-
„ rum Feſtivorum, ſecundum formam
„ novorum ordinamentorum d. Univer-
„ ſitatis, teneatur, & debeat ſaltem in-
„ tra unum menſem ſuæ Electionis, &
„ deputationis tranſmittere ſeu miſiſſe
„ Fidem Electionis ſuæ ad Officiales Stu-
„ dij, vel eorum Notariorum, ex ma-

„ nu

„ nu Notarij Univerſitatis, vel eo non
„ exiſtente, manu alterius Notarij, qui
„ de ea rogatus fuerit: ſub pœna amiſ-
„ ſionis Salarij. Quicumque vero hacte-
„ nus electus fuit ad aliquam Lecturam
„ Extraordinariorum dierum Feſtivorum
„ teneatur & debeat ſaltem intra duos
„ menſes proximos ab hinc fidem Ele-
„ ctionis mittere Dominis Officialibus
„ Studij, vel eorum Notario ex manu
„ Notarij, qui de ea rogatus ſcripturam
„ fecerit ſub d. pœna Mandantes &c.

His ita conſtitutis, quæ, magna quidem ex parte, Collegia, ut vocant, Artiſtarum reſpiciunt; & Collegio quoque Juriſtarum, Veteribus ſuis Conſtitutis novam formam dare, & ſupremæ Auctoritati ſubijcere meditante; nonnullis etiam inter ea eximiæ notæ Profeſſoribus conductis, aut ſtipendio auctis, En intempeſtiva Peſtis, (*a*) quæ pluries alias Piſanam Urbem afflictata, aut ſaltem minitata, ut alibi commemoratum fuit, (*b*) Studioſam omnem Familiam Solum vertere, & alio peregrinari cogit.

Indictæ primum Vacationes ſunt multo ante, quam fieri conſueviſſet; ſub die ni-

---

(*a*) Matthias Palmer. Piſan. de Temporibus ſuis ſub d. An. 1479.

(*b*) In Opuſc. III. cui Tit. De Nonnullis &c. pag. 5. & 16.

nimirum 26. Maij Anno 1479. Deliberatione hujus tenoris (*a*) . . .

„ Supradicti Officiales Studij ſimul & „ ſufficienti numero congregati, quamvis abſente Laurentio Pieri de Medi- „ cis eorum collega & ſervatis ſervandis „ deliberaverunt, & dederunt licentiam „ omnibus Doctoribus conductis ad le- „ gendum in Studio Piſarum ut faciant „ Vacationem & deſiſtant a legendo im- „ pune ab hinc uſque ad Kalendas Au- „ guſti, quo die *ſecundum ordinem lice-* „ *ret omnino a Lectionibus vacare*. Et „ hoc fecerunt propter peſtem, quæ Piſis „ invaleſcebat, & propterea quia Scho- „ lares pauciſſimi aderant, & etiam ali- „ quis ex iis peſtilentia occiderat atque „ perierat. Cum hac tamen conditione „ quod Anno futuro tempus amiſſum re- „ ſarciant: ſub pena Punctaturarum di- „ ctorum, & Lectionum non compen- „ ſatarum.

Mox Univerſitatem, Piſtorium transferri, decretum fuit: Urbem profecto aeris ſalubritate, perſpicaciſſimorum ingeniorum proventu, nullo non tempore, feraciſſimam. In hoc Opuſculo, quod in priore ſui parte, fere totum Diplomaticum eſt, ne tædeat Amicum Lectorem ſibi

(*a*) Lib. II. Deliber. Offic. Stud. pag. 26. a terg.

ſibi alia, ex eodem Autographo excerpta exhiberi. De duplici Edicto, quod in hanc ipſam rem emanavit, potiora verba *Prioris* hæc ſunt .... Die 20. Menſis
„ Octobris 1479. ſupradicti Officiales Stu-
„ dij &c. Deliberaverunt quod Studium
„ fiat hoc Anno futuro Piſtorij propter-
„ ea quod Piſis nondum deſijt Peſtilen-
„ tia, Reſervantes ſibi auctoritatem alia
„ conſtituendi &c.

„ Alterius vero, ſub die 31. ejuſdem
„ Menſis, ſunt hæc: ſupradicti Officiales
„ &c. Deliberaverunt quod omnes & ſin-
„ guli Doctores & Magiſtri conducti
„ pro Studio Civitatis Piſarum tenean-
„ tur & debeant ſeſe conferre Piſtorium:
„ ibique Legere incipiant octavo die
„ Novembris proxime futuri abſque amiſ-
„ ſione Stipendij &c. *(a)*

Præerat per hæc tempora Gubernio Univerſitatis tanquam Rector, *Jo: Lupus Luſitanus*, cujus prudentiam, humanitatem fidemque maxime teſtatam faciunt Gymnaſij Curatores in reſponſione quadam ſuper hoc gliſcentis peſtis negotio, ei data, alijſque: *(b)* quemque conſtat eodem Anno Doctoratus Laurea ibidem in U. J. fuiſſe inſignitum, paulo ante quam Ei Vicerector in Officio ſucceſſerit

(a) D. Volum. Deliberat. pag. 28.
(b) ibid. pag. 15. & 25. terg.

rit *Sigiſmundus de Cortonio*, Prorector & ipſe ſagax, ut ex ipſo Epiſtolarum Promptuario conſtat. (*a*)

Sub Die igitur Octava Novembris præd. Anni 1479. legi cæptum *Piſtorij*, Literis in id præmature datis ſub die 31. Octobr., ad *Meliorem Laurentij Creſci Capitaneum*; ad *Alexandrum Gini Juliani de Ginoris pro magnifico Populo Florentino Poteſtatem*; nec non ad ipſos *Magnificos Priores & Vexilliferum Juſtitiæ Piſtorienſis Civitatis*, in quibus nihil magis inculcatur, quam incolumitas, commoditas, immunitas Doctorum Diſcipulorumque, ibi = Ma biſogna provvedere che habbino luoghi opportuni
„ & capaci di belle Scuole, & non careſtia di caſe, & che loro Libri, Veſte, & Arneſi ſiano franchi di Gabelle & Paſſi, come per tutti gli Studij è conſueto, & fino ad ora ſe oſſervato &c. = Ad queſti effetti eſortiamo, e confortiamo U: M: che faccino buone Provviſioni. Rendiamoci non di meno certi che per le U: M: non ſi pretermetterà coſa alcuna in favore dello Studio per la eſecuzione degl' effetti predetti, e così ſtrettiſſimamente ne confortiamo. Valete. (*b*)

quam-

(*a*) ibid. pag. 30.

(*b*) d. vol. 2. Rer. Stud. pag. 28. 29. &c.

quamvis non omnino feliciter ſucceſſerit & optatis reſponderit res, ob quorumdam vilis plebeculæ Homuncionum inſolesſcentiam, ut apud *Cantem Compagnum*, tunc temporis *Urbis Prætorem*, vigilantiſſimi Moderatores conqueſti ſunt. (*a*)

Eo, cum Selectiori Juventutis flore, diſciplinæ cauſa perrexiſſe conſtat inſignes Profeſſores, de quibus jam actum, vel agendum opportunius, nempe *Lancellottum*, *atque Philippum Decios Mediolanenſes; Bartholomeum Soccinium Senenſem; Petrum de Tomeis Ravennatem; Franciſcum Quirici de Pepis Florentinum; Bartholomeum Ludovici de Regio: &c.* quorum pleroſque, curante Patricio viro *Bartholomeo Baldinottio* eorumdem Collega, Piſtorienſium Civium Jure, ex publico Decreto, munificentiſſime donatos accepimus. (*b*)

Dum autem ibi Piſanum Collegium moram traheret, contigit ut Piſtorienſis Epiſcopus, qui Doctoratus gradum impertiendi Privilegio, a Romano Pontifice, ſeſe decoratum aſſerebat, pro manutentione contenderet: quare aſſertum hoc Privilegium in cauſſa fuit, ut inter Piſanum Capitulum ac ipſum Epiſcopum,

(*a*) Præcit. lib. 2. pag. 44.

(*b*) Mich. Ang Salv. Hiſtor. Piſtor. Tom. 2. lib. 16.

pum, vacante intermedio hoc tempore Piſani Archiepiſcopatus Sede, controverſia, circa lucrum ex ipſis Doctoratibus obveniens, efferbuerit. Verum quum, ex relata jam Bulla felicis recordationis *Clementis VI.*, nactum fuiſſet antea *Piſanum Capitulum*, aliud privilegium, ut quotieſqumque Piſana Eccleſia Paſtore careret, Juriſdictionem hanc poſſet, per Vicarium Capitularem, exercere; (*a*) neque ipſi conſtaret ullo modo derogatum, pro Eo ſtetit Juriſconſultiſſimorum Virorum, *Bartholomei Soccini*, necnon *Franciſci Aceolti* Votum: (*b*) & quæ pendente lite, prout de Jure fit, depoſitæ fuerant pecuniæ inde perceptæ, Piſanis Canonicis reſtitui juſſæ fuerint: quorum perſonam, ex mandato repræſentavit prælaudatus *Antonius Cocchius Florentinus*, ut ex epiſtola dd. Officialium, ſub die 1. Julij An. 1480. innoteſcit. (*c*) conſtat ſimiliter, ſub ipſam Studij, ut ita dictam, Piſtorienſis inſtaurationem, urgente neceſſitate, unius veteris Conſtituti correctionem factam fuiſſe diſpoſitumque ſub die 29. Novembris 1479.

(*a*)

(*a*) in Hiſtoric. Excurſ. noſtra pag. *6.* & ſeq.

(*b*) d. lib. 2. pag. 29. terg., & 32. ſub die 24. Jan. An. præd. 1479.

(*c*) ibid. pag. 30. & 40.

(*a*) *quod intelligantur eſſe de Collegio etiam ii, qui non fuerint Doctorati in aliquo Studio famoſo & claro. Item quod Scholares poſtquam addoctorati fuerint intelligantur eſſe de Collegio Medicorum in ſupplementum Numerariorum d. Collegij, quod ad præſens defectum patitur Medicorum, propter abſentiam Magiſtri Stephani, Magiſtri Alexandri de Sermoneta, & Magiſtri Joannis de Aquila, & Magiſtri Petri de Certaldo infirmi.* (*b*)

Conſtat denique quod, dum adhuc Piſtorij, tutæ Stationis cauſſa, Collegia degerent, ad providarum LL: illarum Promulgationem, fuerit deventum, quæ per ampliſſimum *Juriſtarum* Collegium, diu mente animoque volutatæ fuerant; & per Excellentiſſimos J. V. Profeſſores *Petrum Franciſcum de Ravenna*, *Guittonem Aretinum* exaratæ: quas hic fideliter, prout ab excelſo Florentino Magiſtratu, ſub die 27. Octobris An. 1480. probatæ fuerunt, ad literam referre juvat.

„ Si omnes percurrantur & Philoſo-
„ phi & Rerum geſtarum Scriptores,
„ fa-

(*a*) in præall. Volum. II. pag. 30. Terg.

(*b*) Ex pag. 42. præd. Cod. apparet nondum veniſſe elabente An. 1480., eique deſtinatam Epiſtolam Sic: Quouſque abutere &c.

„ facile quiſque poterit intelligere ut ſi tri-
„ ptum reliquerint Nullam diutius Rem-
„ publicam, Nullam Univerſitatem poſ-
„ ſe & ſtare & augeri, niſi optima Con-
„ ſuetudine, optimis Legibus moderen-
„ tur reganturque. Unde & Sparthæ,
„ & Athenis pro ſervando propagando-
„ que Imperio conſuetudines approbatæ,
„ Leges conſcriptæ ac ſevere ſervatæ
„ ſunt. Roma deinde Urbs cum jam
„ tum ad Imperium Orbis capeſſendum
„ animum intenderet, neceſſarium pari-
„ ter eſſe conſtituit bonas prius Leges
„ expetere & firmare, hiſque infrænem
„ prius Populum Romanum compeſcere,
„ atque ad virtutes & Reipublicæ con-
„ ſervationem & augmentum incendere.
„ Municipalia deinde Jura per Munici-
„ pia quæque Statuta ſunt pro Munici-
„ palibus & neceſſitatibus & utilitatibus.
„ Multa enim pro temporum varietate
„ neceſſe fuit homines ſibi conſtituere
„ quæ Legibus ipſis Romanis non erant
„ comprehenſa. Unde rationibus his com-
„ moti Nos Juriſconſulti venerandi Col-
„ legij Utriuſque Juris Doctorum Piſani
„ Gymnaſij cum multa in dies incidere
„ animadverteremus, quæ dubiam inter-
„ pretationem recipere videbantur, Jura
„ hæc Conſtitutioneſque, quæ infraſcri-
„ pta ſunt nobis conſtituimus, volumuſ-
„ que ea tranſgredi cuiquam jus ac fas
„ non eſſe: cum primum fuerint per

„ Officiales Studij Civitatis Florentiæ &
„ Piſarum Auctores noſtros comprobata.

RUBRICA I.

De eligendo Loco Collegij.

„ Attendentes ad honorem ac gravi-
„ tatem Collegij noſtri putanteſ-
„ que incongruum Collegium hoc no-
„ ſtrum Loco carere, in quo Actus in-
„ cumbentes commode valeant expediri
„ & ſecrete: Statuimus & ordinamus ut
„ per Collegium ipſum locus eligatur,
„ ibique Collegio expedientia habeant
„ fieri, Declarantes quod ubi alibi fue-
„ rint facta irrita ſint & inania, niſi ſu-
„ per loco ipſo per Collegium ipſum
„ fuerit diſpenſatum.

RUBRICA II.

De Priore eligendo, & Syndicatu ejus.

„ Decens & congruum eſſe arbitran-
„ tes Collegium hoc noſtrum Ca-
„ pite non carere, atque eo, qui aber-
„ rantes Doctorum greſſus valeat mode-
„ rari, Legeſque ac noſtra hæc Inſtituta
„ exequi, hoc præſenti noſtro Statuto
„ decernimus quod Tertio quoque Men-
„ ſe per viam extractionis modo infraſcri-
„ pto deputetur unus de Collegio, qui

„ Collegij noſtri legitimus ſit moderator
„ & Prior. Volumus autem pro honore
„ & gravitate Collegij noſtri hoc fieri
„ modo infraſcripto, videlicet quod in
„ parvis Cedulis ſingulorum Doctorum
„ nomina deſcribantur, earumdemque
„ Cedularum, Collegio præſente fiat Im-
„ burſatio, hæcque Burſa loculo, ſive
„ capſula condatur, manſura apud Re-
„ verendum Abbatem Sancti Michaelis
„ in Burgo. Claudatur inſuper Capſula
„ hæc Clavibus duabus, quarum una
„ apud prædictum Abbatem maneat, al-
„ tera penes Univerſitatis noſtræ Nota-
„ rium. Nolumus tamen ſine maxima
„ reverentia extractionem hanc fieri;
„ nam cum ipſe Collegij noſtri vetus
„ Prior prope fuerit Officio functus, ul-
„ tima videlicet Officij ſui die Colle-
„ gium convocetur: Capſulam afferri ju-
„ beat prædictam, ac inde proponatur
„ de Priore novo ac Succeſſore ſuo ex-
„ trahendo aperta coram omnibus Ca-
„ pſula jubeat per Notarium Cedulam
„ unam extrahi; & eum volumus, ac
„ declaramus, qui in ea fuerit deſcri-
„ ptus, verum eſſe & legitimum Colle-
„ gij noſtri Priorem. Extracto modo,
„ quo prædiximus, Priore Novo, vetus
„ ipſe Prior ſua Oratione novum dehor-
„ tetur ac moneat, ut quantum in eo
„ erit, neceſſitatibus atque utilitatibus
„ Collegij noſtri incumbat: nihilque præ-

„ termittat quod ad ejus honorem atque „ utilitatem eſſe videatur; eique deferat „ jusjurandum hoc videlicet modo, ut „ juret ſe omnia Statuta Executioni man- „ daturum. Poſtremo per traditionem „ Voluminis Statutorum quod apud ipſum „ pro tempore Officij eſſe debeat, eum „ in quaſi poſſeſſionem Officij mittat, „ & finito Officio teneatur ſtare ad Syn- „ dicatum ſub novo Priore per octo dies, „ ad ſimilitudinem Prioris Collegij Ar- „ tiſtarum in omnibus & per omnia, „ & quoad omnes, & omnia quod ei „ parebunt.

RUBRICA III.

De Officio, & Poteſtate Prioris.

„ CUpientes Priori noſtro reveren- „ tiam atque obedientiam exhibe- „ ri, Statuimus & ordinamus quod ini- „ tio Officij Prior ipſe teneatur, & de- „ beat ſingulis Doctoribus jusjurandum „ deferre, quod ei obedient, ac parebunt „ in omnibus licitis, & honeſtis, & ad „ rem, atque utilitatem Collegij perti- „ nentibus. Habeat inſuper Prior noſter „ poteſtatem ſingulis Doctoribus jusju- „ randum deferendi quotiens voluerit ali- „ qua in Collegio proponere quæ nolit „ eliminari, & propalari, ſub hac vide- „ licet forma, quod jurent de dicta re

„ ex-

„ extra Collegium verba ſe non facturos
„ directe, vel indirecte niſi inter ſe
„ ipſos.

RUBRICA IV.

Nihil proponatur contra Ordinamenta per Priorem ſub pœna.

„ PRæterea moderantes & compri-
„ mentes quorumdam ut evenire
„ poſſet, audaciam, ac temeritatem, Sta-
„ tuimus, & Ordinamus, ut Prior ipſe
„ nullo modo poteſtatem habeat in Col-
„ legio aliquid proponendi, quod ſit con-
„ tra Inſtituta & Ordinationes noſtras,
„ niſi prius obtinuerit per Collegium di-
„ ſpenſari quod ipſe de hujuſmodi re
„ poſſit loqui: & ſi contra fecerit decla-
„ ramus mulctatum in Libris quatuor
„ Denariorum applicandorum Collegio
„ noſtro. Quæ pœna de portione ſibi
„ contingente detrahatur.

RUBRICA V.

Prior poſſit punire Doctores inhoneſtos.

„ ANimadvertentes Romanarum Le-
„ gum auctoritate eſſe determina-
„ tum pœnas ac mulctas ad reverentiam
„ Magiſtratibus exhibendam plurimum
„ expedire, Statuimus, & Ordinamus,

 „ quod

„ quod Collegij Noſtri Prior Doctores
„ in Collegio ſe dictis, ac factis inhone-
„ ſte habentes punire poſſit, ac mulcta-
„ re uſque ad quantitatem Solidorum
„ quadraginta : quorum tertia pars ſit
„ Prioris, & reliquum applicetur dicto
„ noſtro Collegio.

RUBRICA VI.

Doctores inobedientes puniantur.

„ Contingit ſæpe numero Collegio a
„ Priore noſtro convocato Doctores
„ ipſos inobedientes eſſe ac contumaces,
„ & propterea utilitates, ac neceſſitates
„ Collegij differri. Unde ſtatuimus, &
„ ordinamus quod quotiens Prior Colle-
„ gium congregarit ſi tempore ſtatuto,
„ ac præfixo aliquis ex Doctoribus per-
„ ſonaliter ad Collegium non acceſſerit
„ ipſo jure mulctatus eſſe intelligatur in
„ Libris quatuor Collegio noſtro appli-
„ candis : niſi juſtam cauſam allegave-
„ rit, & probaverit cauſam, quæ per
„ Collegium habeat comprobari.

RUBRICA VII.

Nullus aliquid proponat ſine licentia Prioris Collegij.

„ Præſumptuoſam quorumdam teme-
„ ritatem compeſcere cupientes ſta-
„ tuimus, & ordinamus, quod nullus

„ ex

„ ex Doctoribus in Collegio exiſtentibus
„ aliquid audeat in Collegio proponere,
„ niſi petita, & obtenta a Priore licen-
„ tia: neque etiam Priore refragante,
„ vel ſilentium jubente audeat in Colle-
„ gio loqui. Et hoc ſub pœna arbitrij
„ Prioris, dum tamen hoc arbitrio pœ-
„ na non excedatur Quadraginta Solido-
„ rum, pro tertia parte Priori, &
„ duabus alijs Collegio applicanda.

RUBRICA VIII.

Prior ſemel congreget Collegium ſuo tempore.

„ UT nulla via, nulluſque omitta-
„ tur modus, quo utilitates, &
„ neceſſitates Collegij noſtri procuren-
„ tur ſtatuimus, & ordinamus officij
„ Prioris noſtri eſſe, ſemel ad minus of-
„ ficij ſui tempore Collegium congrega-
„ re, ibique proponere ea, quæ ad ho-
„ norem, & utilitatem Collegij ſibi oc-
„ currant, Doctoreſque rogare, ut ad
„ ejus memoriam reducant ſi quid utile
„ videatur, ſi quid ex re Collegij.

RUBRICA IX.

De Ordine Sedendi, & Præcedendi in Collegio.

„ Quoniam honeſtum, congruum, „ & decens eſſe videtur ut eos, „ qui Magiſtratus gerunt, ma„ gis ac magis honorentur, atque eos, „ qui dignioribus præficiuntur Lectioni„ bus, hoc præſenti Statuto Decernimus „ ut quiſque locum ſuum in Collegio „ intelligat, & debito non fraudetur ho„ nore, ac præeminentia, quod poſt Re„ verendum Almi Studij noſtri Vice„ Cancellarium ſedeat Prior, deinde Re„ ctor, poſtque Numerarij Doctores o„ mnes ſine intermedio, ut prius fuerint „ Doctorati: non præjudicando tamen „ alicui juſquæſito. Deinde Supranume„ rarij, ſimiliter ut prius fuerint Docto„ rati. Adijcientes Ordinem hunc non „ ſolum in loco Collegij ſervandum, „ ſed & extra, dum tamen Collegiali„ ter vel ſedeatur, vel procedatur. Præ„ terea ſtatuimus quod ille, qui eſt Do„ ctor in utroque, præcedat Doctorem in „ una tantum Facultate, etiamſi poſt „ fuerit Doctoratus: non præjudicando „ tamen alicui Juſquæſito.

RU-

RUBRICA X.

Rector interſit, ſive Vice-Rector in Collegio Doctorandi.

„ UT Collegio noſtro Majeſtati ſit „ et decori concedimus ut dum „ aliquis examinatur Laureandus, Colle- „ gio poſſit intereſſe Rector pro tem- „ pore, ſive Vice Rector: Non tamen „ poſſit vocem reddere, vel aliquid in „ Collegio proponere. Adijcientes, & „ declarantes, quod dum ſupra Vice „ Rectorem diximus, de eo intelligimus, „ qui in penuriam Rectoris ab Univer- „ ſitate creatus eſt. Is autem, qui a Re- „ ctore eſt ſubſtitutus, Collegio intereſſe „ nullo poſſit modo.

RUBRICA XI.

Laureandus in Exeundo de Collegio praecedat.

„ UT noviter Laureato Solamen ſit, „ & gloria, in victoriæ, ac pal- „ mæ ſignum, utque alij honore hoc pel- „ lecti ad Inſignia demerenda incendan- „ tur, hoc Statuto Decernimus, quod „ poſt exitum Collegij Laureatus ipſe „ dum ad Domum aſſociatur, Rectorem „ præcedat, & Priorem.

RUBRICA XII.

De Ordine, & Modo ſervando in Doctorandis.

„ NE temere, & inconſulte ad Col-
„ legij noſtri rigoroſum examen
„ quis admittatur, ac deinde tamquam
„ inſufficiens reijciatur, hoc præſenti
„ Statuto Sancimus, quod is, qui cupiat
„ præſentari examen ſubiturus, teneatur
„ prius, & debeat in manibus Reveren-
„ di Vice-Cancellarij, ſive ejus Vica-
„ rij, ac Prioris noſtri jurare ſe per
„ Quinquennium ſtuduiſſe, & intraſſe in
„ Generalibus Studijs; & hoc quando
„ in uno tantum Gradu ſcilicet Cano-
„ nico, vel Civili. Quando autem in
„ utroque cupiat admitti, ſimiliter jura-
„ re teneatur in dictis Studijs per An-
„ nos ſeptem ſtuduiſſe, & intraſſe: Si-
„ ne hoc autem præſtito juramento nul-
„ lo modo admittatur. Et quilibet Do-
„ ctorandus teneatur facere unam Di-
„ ſputationem in Publico, aliter non
„ admittatur ejus præſentatio. Et ſi Scho-
„ laris eſſet Adventitius dare, & ſolve-
„ re teneatur Bidellis inter omnes Sol-
„ dos viginti pro mercede laboris eo-
„ rum ſuſcepti in congregandis Docto-
„ ribus.

RUBRICA XIII.

Nullus obijciat Laureando poſt Puncta niſi tria Argumenta.

„ QUoniam Viris Jureconſultiſſimis „ non eſt difficile Laureandi per- „ quirere ſufficientiam, & Do- „ ctrinam, quoniam etiam Multiloquia „ abhorremus, ſtatuimus, & ordinamus, „ ut poſt Puncta recitata, nullus Colle- „ gij noſtri Doctor contra Laureandum „ obijcere poſſit niſi tria tantum Argu- „ menta circa Punctorum quodlibet: „ Decernentes tamen ut duo ad minus „ ex Doctoribus his modis arguere de- „ beant.

RUBRICA XIV.

Qui cupiunt præſentari jurent ſe non eſſe practicatos.

„ UT penitus in Collegio noſtro ceſ- „ ſet, & tollatur ambitio ſtatui- „ mus, & decernimus quod qui cupit, „ modo, quo prædiximus Præſentari, „ jurare inſuper teneatur in manibus „ Prioris noſtri ſe non eſſe ab aliquo ex „ Doctoribus praticatum, neque dire- „ cte, neque indirecte, neque verbo, „ neque facto, ut eum Promotorem ac-

„ cipiat , & ſi dixerit juramento ſuo „ Laureandus ſe eſſe praticatum , ille „ Doctor mulctatus ſit in Portione pro- „ xime tangente, quæ Collegio applice- „ tur.

RUBRICA XV.

Puncta quomodo, & quando dari poſſint Laureando.

„ EXperientia ſæpe compertum eſt „ indoctos, atque illiteratos Viros „ per ſubornationem : quod longitudi- „ ne temporis commodius fit, optime „ ſe in Collegio habuiſſe. Quare hoc „ animadvertentes, cupienteſque de reme- „ dio providere Decernimus, quod nulli „ poſſint Puncta aſſignari, niſi de mane „ poſt auditam Sancti Spiritus Miſſam „ pro hora vigeſima proxima. De ſero „ autem pro mane aliquomodo dari non „ poſſint : niſi neceſſitatis cauſa, quæ „ prius per Collegium approbetur. Ideo- „ que Laureandus cum primum in Col- „ legium venerit jurare teneatur ſe Pun- „ cta ordinata, & præmonſtrata non ha- „ buiſſe.

RU-

RUBRICA XVI.

Laureandi quomodo approbentur; & non fiat diebus Feſtis.

„ EXaminato diligenter Laureando, „ per Collegij Noſtri Notarium ſe„ crete Doctorum Vota exquirantur Ap„ probantium, vel Reprobantium. Viva „ autem voce approbatio, vel reproba„ tio fieri non poſſit, niſi propter emi„ nentem alicujus ſcientiam, vel Digni„ tatem Collegium prius hoc fieri poſſe „ diſpenſaverit. Eo in prædictis declara„ to, & expreſſo quod Diebus Feſtis ſub „ præcepto nullus poſſit doctorari.

RUBRICA XVII.

Laureatum aſſocient Doctores Domum ſub pœna ſi cum Tubis.

„ PRo Honore Collegij pariter & „ Laureati ſtatuimus ut poſt exhi„ bita Inſignia Doctores omnes tenean„ tur, & debeant Laureatum ipſum ad „ Domum uſque aſſociare: & hoc quan„ do cum Tubis procedit. Quod ſi per „ quemquam ex Doctoribus fuerit con„ trafactum, ipſo jure incidat in pœ„ nam Soldorum Quadraginta, & Col„ legio applicetur.

RU-

RUBRICA XVIII.

Nullus Doctorandus admittatur ad Puncta niſi depoſuerit.

„ NE contingat Collegium noſtrum
„ Emolumento ſuo defraudari ſta-
„ tuimus, & ordinamus, ut nullus ad
„ Puncta ipſa admittatur ſuſcipienda,
„ niſi prius in manibus Prioris noſtri
„ ſummam integram impendendam De-
„ poſuerit. Et ſi Prior ipſe in hoc pe-
„ tendo, & ſuſcipiendo negligens fue-
„ rit, & remiſſus, omnibus de d. ſum-
„ ma participantibus præſtare teneatur
„ damna, & intereſſe. Hoc autem pro
„ Scholaribus Veteranis deputatis, ſeu
„ deputandis ad Lecturas Extraordina-
„ rias Dierum Feſtivorum, quibus qui-
„ dem Salarium ſtatuitur ab Officialibus
„ Studij non intelligatur: Sed remaneant
„ in ſuo priſtino gradu, & ſtatu.

RUBRICA XIX.

Doctoratus non poſſit ultra Tres accipere Promotores.

„ PRovidere cupientes Doctorandorum
„ etiam utilitatibus, volenteſque ſu-
„ pereffrenatam multitudinem Promoto-
„ rum compeſcere, ut ſæpius accidebat,

„ hoc

„ hoc Statuto Determinamus, quod nul-
„ lus Doctorandus ſive in uno tantum
„ Gradu, ſive in Utroque poſſit ultra
„ tres accipere Promotores: hoc addi-
„ to, quod de neceſſitate inter eos unus
„ Numerariorum eſſe debeat.

RUBRICA XX.

De Impenſa Doctoratus, & Emolumento Doctorum.

„ ET ratio ſuadet, & boni mores ut
„ pro tam magno, tamque ingenti
„ beneficio collato, ut videlicet inter
„ Juris Conſultos quis recipiatur aliquid
„ emolumenti, qui ad id cupit aſpirare,
„ ipſum Comprobantibus contribuat. Sta-
„ tuimus & ordinamus, quod in uno
„ tantum Gradu Doctorandus Canonico
„ videlicet, vel Civili, Florenos vigin-
„ tiquinque boni auri, & juſti ponderis
„ eo modo teneatur deponere, quo di-
„ ctum eſt in Rubrica præcedente Sta-
„ tuto penultimo: Si autem in Utroque
„ velit fieri Doctor, Aureos Triginta
„ & ſeptem cum dimidio boni Auri ſi-
„ militer & juſti ponderis. Prædicta au-
„ tem ſumma volumus quod diſtribua-
„ tur inter Vicecancellarium, Univerſi-
„ tatem, Rectorem, Doctores, ac Bi-
„ dellos eo modo, quo in Rotulo ad
„ hoc conſtituto ordinatum eſt. De præ-

„ di-

„ dicta autem ſumma nihil penitus mi-
„ nui poſſit, Priorique ipſi ſit denegata
„ poteſtas de Diminutione in Collegio
„ proponendi, & alteri cuicumque. Quod
„ ſi Prior ipſe contrafecerit, ipſo jure
„ ſit privatus Officio ſuo, aureoque uno
„ mulctatus intelligatur: Si autem alius
„ contrafecerit, ſimiliter jure ipſo mul-
„ ctatus eſſe intelligatur duabus quibuſ-
„ cumque Portionibus proxime ſibi in
„ Collegio obventuris, ſitque ei per duos
„ Menſes Collegij ingreſſus interdictus.

RUBRICA XXI.

De Impenſa danda Doctoribus in Scatulis Confectionum.

„ INcongruum eſſe & minus ad gra-
„ vitatem Collegij noſtri eſſe repu-
„ tavimus Commeſſationes, ſive Colla-
„ tiones in eo fieri; reputantes tamen
„ dignum ut Refectionis, & Charitatis
„ gratia Intereſſentibus Collegio Lau-
„ reandus habeat condonare. Statuimus,
„ & ordinamus, quod Laureandus præ-
„ dictus ſingulis Collegio intereſſentibus
„ dare teneatur Scatulam unam refer-
„ tam Libra una Confectorum, & hoc
„ in uno tantum gradu. Quando autem
„ in duobus, dimidium plus tradere te-
„ neatur. Bidellis autem ſimiliter dare
„ teneatur Scatulam unam Confecto-

„ rum

„ rum una Libra refertam: Hoc declarato, quod pro dicta Scatularum prædictarum impenſa, quando in uno quis tantum Gradu, de ſumma prædicta, unus detrahatur Ducatus cum dimidio. Quando autem in utroque, detrahantur Floreni duo l., & Soldi quinque ad aurum de Florenis largis. Et ſi contingat pecunias ipſas non ſufficere, non per hoc prædictis Scatulis, Intereſſentes Collegio careant, ſed reſiduum per noviter Laureandum ſuppleatur.

RUBRICA XXII.

Alia Impenſa danda Priori, & Bidellis.

„ JUſtum eſſe judicantes Priori noſtro plus emolumenti in Collegio obvenire debere ordinamus, quod ipſe Doctorandus ſeparatim Priori ipſi dare teneatur Schatulam unam Confectorum Libris quatuor referctam, duoſque Flaſcos boni, ac dulcis Vini. Ultra prædicta etiam ſtatuimus conſuetudinemque antiquam confirmamus, quod Laureandus ipſe Bidellis Cappam, qua tunc indutus eſt, dare teneatur, vel loco ejus de aliquo eis ſatisfacere.

RU-

RUBRICA XXIII.

Doctores veniant ante Recitationem primi Puncti, aliter &c.

„ CUM facile non valeant Laurean„ di ſufficientiam Doctores diſcer„ nere, ac judicare, niſi eum in omni„ bus Punctis audierint legentem, ſta„ tuimus ut ante ſaltem recitationem „ Primi Puncti Doctores omnes in Col„ legio debeant intereſſe. Si autem poſt „ venerint, volumus eos ipſo jure pri„ vatos, & omnibus emolumentis, & „ portione ad ipſos pertinente Collegio „ applicanda.

RUBRICA XXIV.

Duo Pauperes quolibet Anno gratis doctorentur Die Natalis Domini.

„ DIdicimus Liberalitatem, ac Pie„ tatem inter maximas eſſe Vir„ tutum, iccirco ſtatuimus, & delibera„ mus quod Collegium hoc noſtrum ſin„ gulis Annis teneatur, ac debeat Duos „ Doctoratus Gradus amore Dei, Scho„ laribus duobus conferre, qui debitis, „ ut diximus, temporibus ſtuduerint, unum „ videlicet in Jure Canonico, alterum „ in Jure Civili: has autem Gratias no-

„ lu-

„ lumus poſſe fieri niſi in Miſericor-
„ diam, ac ſolemni Die Nativitatis Do-
„ mini Noſtri Jeſu Chriſti: Decernentes
„ tamen quod de eorum, qui has pe-
„ tunt Gratias, paupertate plene diſcu-
„ tiatur, hoc videlicet modo, quod ſi
„ in hac alma Civitate duo reperiantur
„ de loco unde eſt qui Gratiam petit,
„ per Cancellarium, ac Priorem exami-
„ nentur, ut deponant de ejus pauper-
„ tate; & ſi prædicti non reperiantur,
„ ſuo juramento prædictus paupertatem
„ ſuam habeat atteſtari.

RUBRICA XXV.

Rector, vel Vicerector functo Officio doctoretur in uno Gradu.

„ HUmanitati conſonum eſſe vide-
„ tur Rectori, ſive Vicerectori ab
„ Univerſitate tantum creato, ſi Stu-
„ dium hoc noſtrum bene rexerit, ac
„ gubernaverit, in remunerationem bo-
„ ni Paſtoris, commodi aliquid contri-
„ buere. Propterea concedimus, quod
„ Collegium hoc noſtrum Rectori, ſive
„ Vicerectori prædicto donare teneatur
„ Gradum unum integrum dumtaxat in
„ Jure vel Canonico, vel Civili, & hoc
„ ſi prius Officio fungatur, & aliter cum
„ eis per Collegium non diſpenſetur.
„ Declarantes tamen, quod ſi contigerit
„ poſt

„ poſt duos Menſes Rectorem reperiri, „ a tempore, quo factus eſt ab Univerſitate Vicerector in defectum Rectoris, quod tunc idem Vicerector intelligatur Officio functus, & prædictum habere debeat. Ab Rectore autem, ſive Vicerectore conſtitutus, nihil penitus habeat Emolumenti.

RUBRICA XXVI.

De Cauſis Collegio commiſſis.

„ UT diſcrete, ac mature, & cum „ honore, ac Emolumento Collegij, Cauſæ Collegio noſtro commiſſæ „ terminentur, ſtatuimus, quod ſi Cauſa committatur Collegio conſulenda, „ non minus pro Conſilio poſſit Deponi, quam Summa Aureorum Vigintiquinque: plus tamen pro magnitudine, ad arbitrium Collegij. Dividatur „ autem dicta Summa pro rata inter „ Doctores. Fiat autem Cauſæ diſcuſſio „ hoc modo, videlicet, Primum debeat „ per Priorem proponi quod Duo de „ Collegio ſint deligendi, qui Caſum habeant Studere, & dubia Doctoribus „ referre ac Conſilium ordinare. Tunc „ mittantur Doctores omnes ad Partitum, & qui duo plura habuerint Suffragia, ipſi habeant prædicta facere, „ & Conſilium ſigillare Collegij noſtri

„ Si-

„ Sigillo apud Priorem manſuro : Statuentes tamen, ut decens eſt, quod Duo prædicti, pro rata habeant Salarium Florenorum Sex, vel plus, vel minus, ut ſtatuet Collegium.

RUBRICA XXVII.

Quod Statuta ſupraſcripta non interpretentur.

„ STatuta omnia ſupraſcripta intelligantur ſimpliciter, ut verba ſonant: nec interpretentur in alio ſenſu, quam in quo ſunt manifeſta, planeque percipiuntur; ſed obſerventur, & obſervari poſſint, & debeant omni exceptione remota, non obſtantibus aliquibus Statutis, vel Ordinamentis, aut Conſuetudinibus, vel aliter in contrarium facientibus, vel diſponentibus, & ſub pœnis ſupra ordinatis. Ubi vero pœna non adjecta eſſet, vel declarata, intelligatur pœna Librarum quatuor applicanda Collegio noſtro: nec poſſit ſuper aliquo per Statutum determinato Diſpenſari, niſi prius explicata cauſa diſpenſationis a majori parte fuerit approbata, & præſtito ante omnia juramento, quod non prorumpent ad aliquid diſpenſandum, quod præter honorem, utilitatemque Collegij eſſe credant: nec tamen

„ men

„ men valeat, nec ullam executionem,
„ nec ullius ſit efficaciæ, vel effectus
„ aliqua talis Diſpenſatio. Et ut nullum
„ dubium circa effectum horum
„ Statutorum vertatur. Statuimus, &
„ decernimus eam vim omnimodam continere
„ in Caſibus præſentibus, & futuris.

RUBRICA XXVIII.

De Emolumento Bidelli præſentis in congregando Collegio.

„ AD tollendam vero omnem controverſiam, quæ inter Bidellos
„ oriri poſſet de, & ſuper Emolumentis
„ ſtatuimus, quod Bidellus exiſtens
„ in Studio quando Collegium coadunaret
„ abſente alio Bidello, lucretur unum
„ Groſſum Argenteum de primis portionibus
„ pertinentibus ad Bidellum abſentem,
„ niſi appareret legittimam fuiſſe
„ abſentiam ejus, ut cum miſſus fuiſſet
„ pro Negotijs Univerſitatis. (*a*)
His etiam promulgatis, alia hæc Capita, pro bono Studij regimine, Superioribus jungenda exiſtimarunt; (*b*) & pri-

(*a*) Ex Lib. II. Reform. Florent. ab An. 1478. ad 1481. pag. 49., & ſeq.

(*b*) ex plur. alleg. lib. Rer. Stud. pag. 37.

primo quidem ſub Die 29. Maij 1480. ſupradicti &c. Statuerunt &c. quod ſer Petrus Bernardi Bartholomei de Cennimis Civis & Notar. Publ. Flor. deſerviens eorum officio poſſit eique liceat impune donec Officialibus Studij pro tempore exiſtentibus & eorum officio deſerviet, pro mercede ſui laboris & pro ſuo emolumento poſtulare ac recipere Groſſos binos pro qualibet Epiſtola quam Officij nomine Scribet pro re privata in favorem alicujus Doctoris, vel Scolaris, vel alterius perſonæ privatæ: quæ quidem Epiſtola ſit deliberata per Officiales Studij obtento Partito ſecundum morem, vid. uſque in Soldos undecim pp: pro qualibet Epiſtola, & ſic ei ſolvi debeat per eum vel eos ad quos pertinebit: Item quod petere & recipere poſſit impune Soldos Vicenos Flor. pp: pro quolibet centenario Florenorum de Studio, & pro quolibet Anno Conductæ a quocumque Conducto, & conducendo ab Officialibus Studij Civitatis Florentiæ & Piſarum, ſi & poſtquam talis Conducta fuerit approbata per Dominos & Collegia ſecundum morem, &c. & acceptata tacite vel expreſſe per talem Conductum, & ſic eidem ſ. Petro a quolibet Conducto & Conducendo ſolvi debeat, vel de ejus Salario retineri per illud ſolventem pro dando eidem ſ. Petro &c. Item quod de quolibet ſtantiamento facto & faciendo per Officiales Studij Doctoribus publice Legen-

tibus in Studio Piſarum, & alijs quibuſcumque conductis & conducendis a dd: Officialibus Studij, & omnibus & ſingulis recipere debentibus ab Officio Officialium Studij: Exceptis iis qui ſolvunt & ſolvere tenentur Camerario Capſettæ Scribanorum montis Taxam, ſecundum ord. &c. licuerit ac liceat d. ſ. Petro Bernardi de Cemminis, ac potuerit, ac poſſit pleno jure petere & recipere ab eis & quolibet eorum unum Denarium pro qualibet libra quantitatis eorum & cujuslibet eorum Salarij, ſeu Tertiariæ, & ſic ei ſolvi in poſterum quoque debet ab eis & quolibet eorum vel ſaltem retineri per illis ſolventes & ſoluturos pro dando eidem Ser Petro: Et ſic obſervetur in omnibus & per omnia, & quo ad omnes & omnia prout ſupra diſponitur & continetur per eos omnes & ſingulos ad quos modo aliquo pertinebit ſub pœna & arbitrio dd: Officialium Studij pro tempore exiſtentium inferenda contrafacienti vel prædicta non obſervanti: Sane & recte intelligendo & ſine cavillatione. (*a*)

Vertente eodem Anno, die vero 2. Junij, non tam Recentis Statuti, quam ſubſequutæ Reformationis Caput, aliquate-

(*a*) Emolumentum hoc non tam Perſonæ eſt, quam Miniſterij, ut ex ſequentibus patet.

tenus innovarunt conſtituendo quod (*a*) *Quicumque Scolaris audiens in Studio Piſano deinceps obtinebit aliquam Lecturam ex iis quattuor, quæ dari conſueverunt quotannis de Menſe Octobris ſecundum ordinem, teneatur & debeat illud notificare Officialibus Studij pro tempore exiſtentibus vel eorum Notario ſaltem intra unum menſem proxime futurum a die electionis de ſe factæ & ex quo lecturam obtinuerit: fiatque talis Notificatio per Fidem ex manu Notarij qui de Electione ejus & collatione d. Lecturæ rogatus fuerit; ſin minus elapſo d. termino Electio pro non facta habeatur & Lectura pro non conceſſa, & non currat Salarium, ſed pro eo Anno talis Lectura vacet, & nemini decerni vel concedi poſſit. Et ſic obſervetur, & quidquid aliter fieret ſit ipſo Jure nullum.*

Sub die 3. ejuſdem Menſis & Anni (*b*) *per Conſilium majus* in Reformatione Montis, Decretum fuit quod *Officiales Montis, ſub pena Montium Pænalium, teneantur ſolvere expenſas Studij uſque ad ſummam Floren.* 7500. *de Sigillo uſque ad & per totum Annum* 1484.

Biduo poſt opportune conſtitutum (*c*)

(*a*) d. lib. 2. pag. 37. terg.
(*b*) In Bal. 1480. pag. 102.
(*c*) d. Vol. 2. pag. 38.

quod in poſterum quicumque conducetur a dd. Officialibus Studij vel eorum in Officio ſucceſſoribus ad legendum publice in Studio Piſano in aliqua ſcientia vel facultate teneatur & debeat ſaltem intra unum menſem proxime futurum a die factæ Conductæ illam Ratificaſſe per Publicum Inſtrumentum manu Eorum Notarij conficiendum, vel per publicum Inſtrumentum manu alterius cujuſcumque Publici Notarij præſentandum dd: Officialibus Studij vel eorum Notario in termino d. Menſis ; aliter elapſo d. termino quiſquis non ratificaverit habeatur ac ſi non fuiſſet conductus, & nullum Salarium conſequi poſſit etiamſi legeret . Et Conductæ hactenus factæ pro d. Studio debeant ratificari per eos ad quos pertinebit ſaltem intra unum Menſem ab hinc proxime futurum per Publicum Inſtrumentum inde conficiendum manu Notarij dd: Officialium vel per Inſtrumentum Publicum ex manu alterius cujuſcumque publici Notarij præſentandum in d. termino dd. Officialibus vel eorum Notario : aliter elapſo d. termino pro injectis habeantur & nullius ſint roboris vel effectus ipſo jure . Decernentes quod hoc Statutum habeat locum dumtaxat in iis & pro iis, qui tempore factæ Conductæ reperirentur & eſſent in Urbe Florentiæ vel ejus Comitatu vel diſtrictu &c.

Utilius etiam, æmulantes in hoc antiquam Bononienſis Gymnaſij Sanctionem,

nem, (*a*) ſub die 24. Julij d. Anno 1480. præceperunt (*b*) quod *Doctores noſtrates non poſſint publice legere in Studijs externis, aut aliquam lecturam ſeu conductam acceptare extra Juriſdictionem Populi Florentini, niſi obtenta prius Licentia ab Officialibus Studij, ſub pœnis contra Scholares ordinatis doctorantes ſe alibi quam in Studio Piſano. Et quod dd: Officiales poſſint removere a d. Studio, & locis ubi teneretur, Doctores & Scholares ſeditioſos, aut non parentes Statutis & decretis eorum. Mandantes &c.*

Quod ne, reſpectu Primi Capitis, ad invidiam forſan juſſum videri poſſet, æquo Legis fine ſuperaddito, ſub die 22. Auguſti, ſic denuo promulgarunt (*c*) *Inſuper ut dicti Officiales Studij poſſint habere majorem copiam Doctorum, & minori eis conſtet, Nullus Doctor de Civitate Comitatu vel diſtrictu Florentiæ, vel de loco in quo Commune Florentiæ Juriſdictionem habet habebitque, ſive ſit Do-*

(*a*) Clariſ. Murator., & ex eo Nob. & erudit. Abb. Octavian. Bonaccurſ. in Ephemer. Liber. Edit. Florent. ſub Inſign. Palm. Tom. I. P. III. pag. 79. &c. ubi de meis hiſce Studiis judicium utcumque profert.

(*b*) d. lib. 2. pag. 41.

(*c*) ibid. ſub An. 1480. pag. 25.

ctor Juris Civilis vel Canonici, ſive Artium vel Medicinæ, poſſit deinceps aut ei liceat quoquo modo locare operam ſuam vel acceptare tacite vel expreſſe aliquam Conductam de ſe faciendam extra fines Juriſdictionis Communis Florentiæ nec ire deinceps ad Legendum Publice in alio Studio quam Piſano vel Florentino abſque licentia & Decreto Officialium Studij pro tempore exiſtentium. Et quicumque ex dd: Doctoribus contra ſecerit aut prædicta non obſervaverit incidat & incidiſſe intelligatur ipſo facto in pœnas & præjudicia ordinata in quas æque incidunt Scholares cives Florentini vel de Comitatu aut Diſtrictu Florentiæ, qui ſtuderent vel Doctorarentur in aliquo Studio extra Juriſdictionem Communis Florentiæ contra formam Ordinamentorum ad præſens vigentium, ſingulis congrue & apte referendo.

Ut vero Doctores & Scholares d. Studij magis incumbant Studijs & a diſcordijs & ſcandalis abſtineant & Statutis & Decretis Officialium melius pareant & modeſte vivant, neve alij eis impedimento ſint: Poſſint dd: Officiales Studij pro tempore exiſtentes eos & quemlibet eorum cujuſcumque gradus vel conditionis exiſtat, non modo punire & condemnare: ſed etiam mulctare & removere de d. Gymnaſio ſeu Studio & de quolibet loco ubi dictum Studium teneretur. Et ad hos effectus conſequendos & pro prædictis omnibus teneatur quilibet

Re-

Rector Officium & Officialis intrinſecus & extrinſecus dd: Officialibus Studij ſavere auxiliumque & ſavorem præſtare: dictorumque Deliberationes eſequi, omni contradictione & oppoſitione remota: & ſic inviolabiliter obſervetur.

Reducem e Piſtorienſi Urbe Scholaſticam Familiam rurſus benigno hoſpitio, cum novis hiſce Conſtitutis, excepit Piſana Urbs *Die Tertia Novembris præd. An.* 1480., ad quem uſque, pro præſenti Anno, prorogatum aliquantulum fuit Studiorum Initium, ut Auditoria interim reconcinnarentur; ut Studioſi Adoleſcentes huc illuc metu peſtis diſperſi & adhuc in itinere exiſtentes; & quidam etiam Doctores, noviſſime in Album relati, Principio Publicarum Prælectionum adeſſe poſſent; prout ſub die 14. Octobris fuit ſapientiſſime Proviſum. (*a*)

Poſt reditum, nonnulli alij Profeſſores conducti, de quibus infra; nova circa Creationem Conſiliariorum Conſtitutio emanata in his terminis. (*b*) = *Die* 14 *Auguſti* 1481. *Corrigendo Statutum vetus Univerſitatis loquens de Creatione Conſiliariorum Deliberaverunt quod deinceps Scholares Cives Florentini deſcripti aut compre-*

(*a*) Præalleg. Volum. 2. pag. 46.
(*b*) ibid. pag. 74.

benſi in aliquo onere civium Civitatis Florentiæ aut aliquis eorum non poſſit nec debeat ullo umquam tempore intereſſe aut vocem reddere in Electione & deputatione Conſiliariorum Univerſitatis Studij Piſani, & quodcumque contra vel ſecus fieret ſit ipſo jure nullum, nec obſervari debeat: & quicumque contra faceret incidat in penam Florenorum decem largorum pro qualibet vice ipſo facto: quod ſolvatur & ſolvi debeat Cameræ ſeu Ærario d. Univerſitatis. Quod eſt factum ne diſſenſio a noſtris oriri poſſit.

Inſignes autem Viri, qui *Piſis*, ante primam hanc Peregrinationem, aut poſt regreſſum e Piſtorienſi Civitate, magna cum nominis celebritate, profeſſi ſunt, Benevolentiſſimi Lectoris attentionem modo detineant.

§. I. Peculiaris providentiæ, qua curabant in dies, Academicæ Rei Præfecti, Piſani Athenæi decus dignitatemque promovere, loquax indicium eſt ſagax Electio Spectatiſſimi Viri *Ruperti Strozzæ*, *Anno* 1451. *ex Carolo Florentino Patricio*, *ac Magdalena de Ricaſolis* progeniti, (*a*) qui in Albo Extraordinariorum Canoniſtarum, cum Annuo primum Honorario *Florenorum viginti quinque*; progreſſu temporis uſque ad *tercentos*, ei ſen-

(*a*) Arb. Hiſtoric. Fam. in Bibliot. Strozz. Cod. Hc. n. 286.

ſenſim adaucto, ſub Anno 1478. reperitur. (*a*)

Commendat hujus incliti Profeſſoris peritiam, vel ipſi contemptori omnium *Decio*, dum eo collega uteretur, non improbatam, inſignis & ipſe Juriſperitus *Joſeph Ruſticius* in Commentariis ad *L. Cum Au.* 102. *ff. de Condit. & Demonſtrat.* (*b*) Magni quoque pendunt Illuſtres Hiſtoriarum Conditores; (*c*) neque eam, plus quam cognationis, veritatis amore ductus, diutius publico Teſtimonio defraudandam cenſuit *Alexander Strozzia Miniatenſis Epiſcopus*, erecto ipſi marmoreo monumento, de quo inferius, in Eccleſia *S. Marci de Soano*, cui Plebanus olim *Robertus ipſe* præfuerat: non ſecus ac præfuit *Eccleſiæ S. Mariæ de Sobiliana*, Lucenſis olim Diecæſis; *Eccleſiæ S. Miniatis de Fonte Rutulo*, & *S. Mariæ de Spalterna*, Fæſulanæ Ditionis. (*d*)

Summam etiam ipſius in adminiſtrandis negotiis prudentiam dexteritatemque;

 in

(*a*) Cod. Reform., cui Tit. Ricordi, & lib. 3. Rer. Stud., & 4. pag. 219.

(*b*) lib. 1. Cap. 13. num. 27.

(*c*) Guid. Panciroi. de Clar. &c. lib. 2. cap. 135. n. 215.

(*d*) Volum. I. Doctor. Archiep. Cur. pag. 211. &c. = Cod. Stroz. ✠ D. pag. 88. &c.

in reddendo jure Juſtitiam Æquitatemque, cum grata adhuc recordatione, inmentem revocat univerſa Piſana Diecæſis, ubi per plures annos, Canonici, ac Vicarij Generalis munus obijt. (*a*)

In Romana Urbe, ſeſe poſſe latius has inſignes animi dotes explicare majoribuſque præmiis affici, prudenter exiſtimatum fuit: quamobrem enixis precibus a *Maximiliano Auſtriæ Duce*, poſtea *Romanorum Imperatore*, hujus nominis *Primo*, curante *Johanne de Cambiis* laudati Principis a Conſiliis (*b*) apud ſum. Pontif. *Sixtum*, hujus pariter nominis, *IV.* efflagitatum eſt, ut in numerum Sacræ Rotæ Auditorum, *Rupertus noſter* cooptaretur. Lubet hic honorificentiſſimam Epiſtolam referre, prout in præd. celebri Strozziana Bibliotheca adſervatur. „ Sanctiſſime ac Beatiſſime Pater & Domi„ ne Domine mi unice. Exendo ali ſer„ vitij noſtri Johanni Cambi, Citadini „ fiorentino, quale per le virtù, & ſer„ vitio ſuo amamo, & tenemo caro tra „ gli altri noſtri Servitori de che deſi„ deramo farli coſa grata, & compia-

cerli

(*a*) Præall. Monum. Archiep. Archiv.

(*b*) Ex Monum. Orig. penes Nob. & humaniſs: Viros Dom: Priorem, & Nicolaum pro S. C. M. in Piſ. Civit. unum ex Oſs. Maris, integer: Sapientiſſimiſque.

„ cerli in tutte le coſe a nui poſſibile :
„ perchè così merita la ſervitù, amore,
„ & fede ſua verſo nui habiamo penſa-
„ to como poſſiamo compiacerli; & ha-
„ vendo relatione da lui che la più ca-
„ ra coſa e ſtrecto Parento che habia è
„ Meſſer Roberto degli Strozi quale al
„ preſente ſe trovo Vichario del Arceve-
„ ſcovo de Piſa, & etiam lectore in di-
„ cta Cità, ce ſiamo moſi con grande
„ vehementia a pregare la Beatiſſima
„ Sanctità Voſtra che per noſtro amore,
„ & piacere grandeſſimo quella ſe de-
„ gni el primo vacante Auditore de Rot-
„ ta de compiacerlo al dicto Meſſer Ro-
„ berto: perchè per una gratia al pre-
„ ſente non la porreſſemo havere ma-
„ giore quanto che dicto Meſſer Ruber-
„ to col noſtro mezo obtenga quello de-
„ ſidera dala Beatitudine Voſtra, ala qua-
„ le notifichiamo che ce ſiamo certifi-
„ cati lui eſſere homo bono integro &
„ doctiſſimo confaciente ad ſimili exer-
„ citij, pero adunca V. S. ſe degnarà
„ farce queſta gratia, la quale reputamo
„ communemente ad nui, iterum & ter-
„ tio lo raccomandiamo alla S. V. in
„ gratia dela quale humilmente ce ra-
„ comandiamo, &c. (*a*)
Quum autem, quominus his Votis ob-
E 5 ſe-

(*a*) H. P. III. pag. 202.

ſecundaretur, circumſtantiæ ejus temporis obſtiterint, non deſtiterunt propterea æquiſſimi Gymnaſiarchæ, Academicis emolumentis atque honoribus *Eumdem* cohoneſtare. Inter hæc illud quoque extrinſecus ei contigit honorificum maxime, ut inter plures, qui in ſolemnibus Doctorum comitiis, ſub *Raphaele Cardinale S. Georgij Piſano Archiepiſcopo* habitis, Ejus opera ac miniſterio Juriſconſulti renunciati ſunt (commiſſa *Felino* pro tali actu Vicaria poteſtate) Doctor ſolemniter ab Eo inauguratus ſit, publicoque, de more, Encomio celebratus Gentilis ejus amantiſſimus *Marcus q. Matthæi Jo. de Stroctijs*. (*a*)

Nomen hoc, quantum Judæis infeſtum, quorum expulſionem e Florentina Urbe *Marcus ipſe*, politicis moralibuſque rationibus innixus, cum ſanioribus quibuſcumque civibus, & cum effectu curavit: (*b*) tantumdem celeberrimo majoris Eccleſiæ Florentinæ Capitulo, cujus numerum & decus auxit: (*c*) pluribus etiam Urbis noſtræ ſpectabilibus cœtibus

(*a*) lib. 1. Doctorat. Archiep. Tabular. pag. 209. ſub An. 1489.

(*b*) Ferd. Leopold. Melior. in Flor. illuſtr. lib. 1. p. 3. in §. Ghetto pag. 518.

(*c*) Faſ. Capit. Mſs. ab Eruditiſs. *Salvino* de Salvinis conſcript.

tibus acceptiſſimum ; & præſertim Sanctimonialibus illis, quas Vulgo nuncupant *degli Angiolini*, quarum Cœnobium a fundamentis erexit; dote fundavit; inſtitutiſque Sanctiſſimis munivit; ea plane animi moderatione, ut nec nomen ſuum, neque Stemma Familiæ ibidem voluerit umquam apponi, ob quam, aliaſque præcellentes virtutes, a *Clr. Joſepho Maria Brocchio*, Venerabilium Florentinorum Catalogo inſeri promeritus eſt. (*a*)

Ruperto pariter, de quo nunc, ex profeſſo, ſermo habetur, nulla coæva inſcriptio fuit appoſita, utpote recondito in Communi Sepulcro Canonicorum Piſanæ Civitatis, ubi poſtremum diem, Ordinarius jam Sacrorum Canonum Profeſſor, obijt Menſe Majo Anni 1492: Sera autem, ſeculo proxime revoluto, ab *Alexandro*, ut diximus, Miniatenſis Eccleſiæ Pontifice in Æde Sacra D. Marci de Soana, hæc apponi juſſa = *Robertus Strozza Caroli F. Archiepiſcopi Piſani Generalis Vicarius hanc rexit Plebaniam Anno Salutis MCCCCLXXXVIII. Alexander Strozza Epiſcopus S. Miniatis, eadem Eccleſia a Gregorio PP: XV. Epiſcopali Menſæ unita, cum inſignia hæc Gentilitia*

(*a*) Indic. Alphabet. Vir. Sanctor. Florent. pag. 613.

a Prædeceſſore, & Conſanguineo relicta, a ſolo ſejuncta, in hoc Templo reperiſſet, Memoriæ Viri Cæſarei, Sacrique juris peritia Spectatiſſimi Conſulens excitanda curavit Anno Salutis MDCXXXIII.

§. II. Alij ac ſubinde alij, ex eadem *Strozziorum* conſpicua Familia, has Profeſſorias Sellas, cum dignitate, occuparunt. Ad præſentem Seriem pertinet *Antonius Vannis Strozzæ, & Doræ Equitis Jannoctij Pandulfini Filius*, lucis uſura compos redditus Anno 1455. (*a*) Magiſterio autem hoc noſtro decoratus, biennio poſt, quam eo potitus fuerit *Robertus*, de quo nuper egimus, nempe *Anno* 1480. (*b*) Sacris Canonibus explicandis primo operam dedit cum *Flor. Viginti quinque*; poſtmodum cum *Quadraginta*, Juri Cæſareo: (*c*) in quo Munere obeundo, quum Septemnium circiter exegiſſet, alii a domeſticis negotiis, & ipſius Reipublicæ obſequio, cui ſubditus quiſque mancipatur, evocatus eſt. Conſtat ex Patriis Monumentis, ad Summum Pontificem; ad Galliarum Regem; ad Ferrarienſem Ducem, honorificentiſ-

ſime

(*a*) Arb. Hiſtoric. Famil. in Cod. 196 3. O. in Bibl. Stroz.

(*b*) Volum. 2. Reform. pag. 90. Terg. ſub die ult. Febr. An. 1480.

(*c*) Memor. ibid. ſub An. 1484.

ſime Legati perſona indutum acceſſiſſe ; (a) Immo Ferrarienſem eumdem Ducem, *Herculem Primum Eſtenſem*, tanti feciſſe ejus peritiam, ut in gravi controverſia, pro ſe Conſulentem imploraverit. Porro in hoc genere Doctrinæ, quæ Forenſium Cauſſarum diſceptationem definitionemque reſpicit, plurimum excelluiſſe, illud quoque argumento eſt, quod inter Conſilia *Junioris Soccinj*, (b) tamquam Eximius Juriſconſultus & Conſulens audiat; & in ſuis Theoreticis Operibus prælaudatus *Joſeph Ruſticus* opportuna commemoratione *Eum* dignum exiſtimaverit. (c) Quamplura ejus ſcripta & ſingularia in Jus utrumque adnotata, in domeſtica celebri Strozziana adſervantur XX. Tomis comprehenſa, ac fidei & cuſtodiæ nobiliſſimorum Heredum commendata, prout in Mſ. ejuſdem vita fideliter adnotat Metropolitanæ Florentinæ Eccleſiæ *Archidiaconus Aloyſius*, Vir & ipſe perenni dignus Hiſtoria. Pientiſſima ipſius uxor *Antonia Simonis de Veſpuccis*, *alterius Simonis ex filio Joanne Nepotis*, qui propriis ſumptibus, Patriam Urbem ſplen-

didis

(a) Scip. Ammir. Hiſtor. Florent. P. II. lib. 27. & 28.

(b) Tom. I. Conſ. 18. in princ. Venet. Edit. Guer. An. 1571.

(c) In præcit. L. Cum Avos &c.

didis ædificiis ; Sacras Ædes Sacellis Supellectilibuſque ornavit. (*a*) Prædefuncti Conjugis memoriæ Nobile Sepulcrum, ſcalpro præſtantium Artificum *Andreæ*, *Maſi*, *ac Sylvij Feſulanorum*, extruendum curavit: (*b*) quod Florentiæ in Eccleſia S. Mariæ Novellæ PP. Prædicatorum, in Pariete prominet prope Aram, olim *Dom*: *de Baccellis* ; nunc vero *Senatoris Friderici & Filiorum de Riccijs*, *D. Catharinæ* Tutelari & Agnatæ dicatam, ut patet ex inſculpta hac Inſcriptione = *D. O. M. Antonio Strozzæ Cæſarei Sacrique Juris Conſultiſſimo ac bene de Republica merito Antonia Veſpuccia Uxor P. Vix. An. LXVIII. Menſ. VIII. D. X. Obijt An. MDXXIII.*

§. III. E Piſanorum quoque Civium numero ; & quidem potiori jure, excolendis tam ſuis, quam alienis Ingeniis, educendi Profeſſores videbantur. Verum quum ea tempeſtate, militarem ſpiritum ; & forſan pro priſtina libertate recuperanda, adverſus invaſores, hoſtilem nondum exuiſſent animum, ut paulo poſt eventu res ipſa demonſtravit : ideo nec mul-

---

(*a*) Vit. Americ. Veſpuc. ab Erudit. Adoleſc. Ang. M. Bandinio conſcript. pag. XI. & ſeq.

(*b*) Stephan. Roſſel. in Sepulcr. Mſ. in Magliabech. Bibliot.

multi tunc temporis literis addicti ; & ex iis pauci , precibus Reipublicæ Florentinæ porrigendis inclinati ; aut ea ſecundandis ipſorum votis admodum propenſa.

Sui periculum facere , in hujuſcemodi Petitione , non erubuerunt , nec pro iis Literas Commendationis dirigere ipſamet Piſana Civitas dedignata eſt , (*a*) *Burgundius* ſcilicet *Bartholomæi de Leolis* Patritius Piſanus ; necnon *Thaddæus dell' Apoſtolo* Civis honeſtiſſimus ; ſed , ut alibi ſuperius innuimus , diſpari exitu ; quum enim Poſterior hic Lecturæ *Sexti Decretalium* inhiaret , quamvis alias optimum de ſe ſpecimen exhibuiſſet , Diebus Feſtis Extraordinarij Lectoris munus obeundo , Anno 1474. , (*b*) & Auſpice *Gannettinio* , in Jure Canonico Lauream Doctoratus Anno 1477. accipiendo , habita etiam prius in Primitiali Templo , ſolemni Oratione in Sacrorum Canonum laudem ; (*c*) tamen repulſam pertulit Hic ; & Primus tantummodo , nempe *Burgundius* ; imo nec Is eodem Anno ; ſed

(*a*) Lib. III. Arch. Commun. Piſ. ſub die 4. Apr. & 12. Septembr. An. 1476. pag. 93. Terg. , & 127.

(*b*) Memorial. Reform. Florent.

(*c*) Lib. 2. Doctor. Archiep. Tabular. pag. 96.

ſed Anno 1478., & abſque ullo ſtipendio, honeſti voti ſui compos effectus eſt. (a) Inſtitutionibus Civilibus enucleandis aliquantiſper operam navavit; poſtmodum vero, alia ratione, ſeſe utilem Patriæ præbuit; & potiſſimum Anno 1495., Orator unanimi ſuffragiorum conſenſione, pro tuenda Piſana libertate, apud *Carolum Octavum Galliarum Regem*, tunc temporis Romæ degentem, conſtitutus, adverſus *Franciſcum Soderinium*, ex Piſano Collega, ut diximus, Volaterranum Epiſcopum ac deinde Cardinalem; qui Florentinæ Reipublicæ partes agebat, nervoſe declamavit, nutantemque Regem, ad aliquod tempus, in ſuſcepto Piſarum patrocinio continuit. Extat utraque Oratio penes Hiſtoricum graviſſimum *Franciſcum Guiccardinium* (b) nitidiſſimis, ut illi proprium & uſitatum eſt, coloribus expreſſa. Quænam autem Concio, veritati magis inniteretur, alterius judicium ſit. Illud ex Piſanis Monumentis in comperto eſt, quod & coram *Romano Pontifice*, biennio poſt, Civium ſuo-

---

(a) d. lib. Mem. in Ser. Profeſ. I.C. ſub An. 1478.

(b) lib. 2. Hiſtor. ad præd. An. 1495. Edit. Venet. pag. 40. ubi Lolo mendoſe legitur.

ſuorum cauſam viriliter egit; (a) quodque, Domicilio ſibi Romæ conſtituto, Advocatus Conſiſtorialis, in patrocinandis aliorum etiam cauſſis, reliquum vitæ ſuæ tempus cum laude tranſegit. Sepulcrale Monumentum, quod Romæ cernitur in Sacra Eremitanorum Æde, quæ D. Auguſtino dicata eſt, inſignis hujuſce Viri, immatura morte prærepti, encomia ſupplet, quod hic ſubijcio = *D. O. M. Borgundio Leolo Piſano Divini Humanique Juris conſultiſſimo, Advocato Conſiſtoriali, Prudentia Conſtantia ac Fide probatiſſimo, Claris Natalibus atque Animi & Corporis Dotibus ornatiſſimo, Pauperum oppreſſorumque Fautori Piiſſimo; Innocentio VIII. & Alexandro VI. admodum caro, de Sede Apoſtolica deque mortalibus omnibus benemerito, Pantheſilea Gypha Conjugi, & Leonora Leola Parenti Optimo, qui ætatis ſuæ Anno XLVIII. intempeſtive occubuit, Monumentum poſuere Anno ſalutis MDI.*

§. IV. Prioribus ſuperiora ſubſellia implentibus, Anno 1478., per breve circiter Literarij unius Anni curriculum, & cum tenui Stipendio *Florenorum Triginta*; Praxim Medicam Extraordinario loco, profiteri cœpit *Mazzingus Paradiſi* *Maz-*

(a) Franc. Paul. in Monum. Hiſtoric. Mſs. ſub An. 1497.

Mazzinghi Florentinus Civis, (*a*) cujus locum deinde occupavit *Mag. Chriſtophorus Arretinus*, de quo alibi (*b*). Cum Hoc *Paradiſi* nomen, circa hæc tempora, deſit in Nobili Campeſtri Familia *Mazzinghiorum*, (*c*) quæ nunc ſola Florentiæ eminet: cujus nativo decori, collatum etiam uni ex his, cui nomen *Fortes*, ab Imperatore *Conrado II.*, ſeu potius ab *Henrico ejus Filio*, Equeſtre Decus acceſſit; (*d*) neque obvium fiat prædictum *Paradiſi* Nomen in alia conſpicua *Peretolana Stirpe de Mazzinghis*, ex qua prodijt *Angelus*, in Carmelitanum Ordinem deinde receptus, & conſtanti cultu Trium & amplius Seculorum, *Beati* titulo decoratus, (*e*) conjectura aliquatenus aſſequor Eximium Profeſſorem, de quo nobis impræſentiarum Sermo eſt, ex altera Illuſtri Proſapia progenitum, in qua frequens hoc Nomen & Studium, quæ Na-

(*a*) lib. 11. Deliberat. Stud. pag. 16. & 26.

(*b*) Memor. Reform. ſub An. 1479.

(*c*) Arb. Familiar. Nobil. Florentin: penes Scip. Ammirat.

(*d*) Id. Scip. Ammir. a ſe ipſo diverſus Hiſtor. Florent. lib. 1., & 16.

(*e*) Ferd. Leop. Melior. Flor. Illuſtr. pag. 566. = Monum. Hiſtoric. in Vit. d. B. Angeli edit. Flor. An. 1739.

Natale videlicet ſolum ſortita eſt *Signiam:* Oppidum ſeptimo ab Urbe noſtra lapide diſtans, in Piſana Via conſpicuum: quæ poſtmodum, ob Generis honeſtatem bonorumque affluentiam, Florentina Civitate donata, amplo & ipſa honorum cenſu cœpit frui. (*a*) Utcumque tamen res iſta ſeſe habeat, illud certum, Noſtrum hunc, in Galenica Arte præſtantem Virum, amicitia Clariſ. *Ficini* inclaruiſſe, ut patet ex ipſius epiſtola, quæ lib. XII. continetur, ſub Die 13. Januar. An. 1494., ſicuti certum Faſtos hoſce noſtros Academicos pluries *Mazzingorum* Cognomine decorari. Præter enim laudatum modo *Mazzingum*, qui ſpectat ad Annum 1478., in II. Doctorum Ephemeride, quæ pertinet ad Annum 1486. &c. (*b*) mentio fit *Mag. Ugolini* Filij Egregij Militis Dom. *Paradiſi de Mazzinghis* Civis Florentini, qui, Promotoribus *Mag: Tornio*, *&* *Mag. Petro Leonio*, coram *Roberto Strozza* Archiepiſcopali Vicario, Medicorum Laurea fuit inſignitus. Alter quoque *Paradiſus de Mazzinghis*, ſub Anno 1519., Juriſconſult. Inſignibus cohoneſtatus inve-

---

(*a*) Franc. Segalon. cum. Add. Tom. VI. pag. 1507. in Arch. Secret. S. C. M.

(*b*) In Archiep. Tabular. Piſ. pag. 98.

venitur: (*a*) quem, quum eum exiſtimem, qui poſt felicem Studij noſtri Reparationem denuo a *Coſmo I.* auſpicatiſſime ſuſceptam, Canoniſtarum Cathedram illuſtravit, de Eo, in illa præſtantiſſimorum Profeſſorum Serie, ſcribendi locus aderit opportunior.

§. V. Spectat ad laudem non exiguam *Apollinaris*, de quo ſuperius egimus, (*b*) ex ejus Schola profectum fuiſſe *Philippum Cenni Ajuti Florentinum*, eumdemque inſignibus Doctorum in Medicina exornaſſe, ſub die 12. Jun. An. 1477., Academicum hunc Actum præſentia ſua cohoneſtante *Carolo Philippi de Gabrielis de Augubio* Rectore Univerſitatis Ampliſſimo. (*c*) Paulo ſiquidem poſt ad Logicam Artem Ordinario loco Piſis profitendam, cum exiguo licet Honorario Floren. 20. *Philippus* utiliter adſcitus invenitur, & *Gaſpari Siculo* Collega datus. (*d*)

Qua morum probitate & innocentia Florentini Carmelitarum Cœnobij habenas

---

(*a*) Ex Rog. Ser Bernardi del Pitta pag. 149. d. An. 1519.

(*b*) in Opuſc. V. cui Tit. Collectio &c.

(*c*) Volum. II. Doct. pag. 108. = Ser Rect. in Arch. Univ. & Ref.

(*d*) Memor. Reform., & lib. 2. pag. 106. An. 1478.

nas moderabatur ſub Anno 1349. *Fr. Philippus Cennis*, eodem tempore quo *D. Andreas Corſinius* totius Provinciæ clavo ſanctiſſime præſidebat; (*a*) & qua peritia & integritate Publici Tabellionis officium, ijs temporibus, non niſi honeſtiſſimis probatiſſimiſque hominibus conferri ſolitum, exercuerat *Ser Cennes Philippi* Pater, ac ejus Frater germanus *Ser Matthias*, (*b*) ea prorſus Publice prælegendi Munus hoc ſibi demandatum obijt Hic noſter. Hinc Stipendio auctus, & ad majora tempeſtive evectus apparet. A Dialecticæ ſiquidem Profeſſione, ad Praxim Medicam promotus Anno 1492., Theoricen deinde Ordinariam, quæ in hoc Ordine ſuprema Cathedra eſt, ſumma cum laude, cum non mediocri Auditorum affluentia, & lauto Floren. 260. Stipendio, in ipſo Gymnaſio edocuit. (*c*)

Quum unam ex ſuperioribus Conductionibus, ſeu potius Reconductionibus Ratam habitam fuiſſe deprehendam per *Franciſcum Laurentij de Cambinis* Floren-

(*a*) Catalog. Provincial. ab An. 1331. ad 1484. in Cod. ſign. A. in Arch. Flor. Cœnob. PP. S. Mariæ Carmel. pag. 2.

(*b*) Volum. III. Rer. Stud. pag. 98.

(*c*) Rotul. Univ. inter Miſc. Hieron. a Summar. P. V.

rentinum Civem *Philippi* Socerum, non abs re cenſeo, præter hanc Illuſtrem ejus affinitatem, etiam paucula hæc obiter adnotare, nempe quod ad impediendas arbitrarias deſertiones, moris olim fuerat, ut pro Conducto quovis Profeſſore, ex noſtratibus aliquis coram Studij Officialibus fidem ſuam obſtringeret. Item quod prælaudatus *Cambinius*, nempe *Franciſcus* uno eodemque tempore, quo Piſanæ Dohanæ præerat, Œconomicæ rei Univerſitatis noſtræ præfuit, unde & reconcinnandarum Scholarum, & ſimilium ei munus injunctum invenitur, (*a*) Denique quod utriuſque Familiæ, *de Cennis* videlicet, ac Cambinis, non unum Piſis adhuc extat Monumentum. In Volumine etenim VIII. Tabularij Dom. Priorum, *Bartholomæum Ser Andreæ de Cennis J. U. D.* gratis Piſana Civitate ſub An. 1517. decoratum legimus; & *Dominici Johannis Cambini* commune Sepulcrum cum Nobilibus e Familia *de Braccis*, quæ hereditario Jure *Cambinium Cognomen* aſſumpſit, in Eccleſia Servorum B. M. V., quæ Piſis D. Antonio Abbati dicata eſt, cum gemina hac Epigraphe, ingredientium oculis ſubjicitur = *Sep. di Domenico di Gio: de*

(*a*) lib. IV. Deliberat. Stud. pag. 74. 76. 81. &c.

de Cambini di Firenze e de ſuoi deſcendenti An. Dom. MCCCCIIL., ſubter vero D. O. M. =

Antiquæ Florentinæ Cambiniæ Gentis Monumentum A. MCDIIL. Conditum Vetuſtate pene deletum Jo. Bapt., & *Ant. M. q. Leonardi Bracci Cambini Patricij Florentini*, *ac Piſani Reparandum curarunt A. M. DCCXXXXIII.*

Regrediendo autem ad Inſignem Profeſſorem, de quo præcipuus ſermo, in Medicina facienda reliquum vitæ ſuæ tranſegiſſe Florentiæ vix dubito; ibidemque deceſſiſſe ſub die 15. Sextilis An. 1505. atque in Eccleſia D. Thomæ tumulatum fuiſſe Florentinum Necrologium non ſinit ullo modo dubitare. (*a*)

§. VI. Ex opportuna Gymnaſiarcharum Proviſione, non caruit aliis quoque Præceptoribus Piſanum hoc noſtrum Athenæum. *Michael Angelus Salvius*, quem penes omnis interim fides ſit, (*b*) *Bartholomæi* quoque *Ludovici Regienſis* in Piſtorienſem Urbem ad publice profitendum translati, atque idcirco jampridem Piſis Edocentis, meminit. E noſtris vero Academicis Monumentis, ſub die 30. Decembris An. 1478. *Joanne Lupo* Re-
cto-

(*a*) In Archiv. Medicor. & Pharmacop. pag. 199.
(*b*) Hiſtor. Piſtor. Tom. II. Lib. 16.

ctoris Munus obeunte, in Publico Miniſterio Logices edocendæ, prælaudato *Gaſpari Siculo* jubetur Collega jungi *Lucas Antonius Coſanus Florentinus Joannis Filius*, (*a*) qui alibi, ratione forſan Paternæ Originis, *Mantuanus* dicitur, vulgo *il Mantovanino* (*b*). Verum poſterior hic ſcelere magis quam doctrina innotuit; Propagator enim alienæ Satyræ in Sapientiſſimum Virum *Apollinarem Cremonenſem* conſcriptæ, merito ſe, ex Juris regula puniendum præbuit, (*c*) prout merito coercitus fuit Exilij pæna e Piſtorienſi Civitate, & Cathedræ amiſſione. (*d*) An ex eadem Familia, ſicuti procul dubio eidem Mantuanæ Urbi refertur acceptus, extiterit *Orpheus*, alibi *Orſus*, *Coſani*, ſub An. 1486., Feſtis Diebus Extraordinarius Lector, (*e*) non admodum ſolicitus inquiro: non enim impræſentiarum Piſani Alumni, quamvis Illuſtres, noſtrum calamum, in majoribus occupatum, ex profeſſo detinent.

§. VII.

(*a*) lib. 11. in præd. Arch: Refor. pag. 15. Terg., & 85.

(*b*) ibid. pag. 40.

(*c*) Leg. Un. in princip. Cod. de Famoſ. Libel.

(*d*) Prealleg: Lib. & pag. Rer. Stud

(*e*) Ser. Extraordin. in lib. Memor pag. 29.

Mag. Joannes de Scotia, alias de Hibernia, e Religioſa *D. Franciſci* Familia, decurrente Anno 1479. *Bernardino de Cherichinis* jam laudato, ad Theologicas Facultates profitendas ſuffectus in Academica noſtra reperitur. Tenor integræ ejus Conductionis, ſub die 14. Menſis Maij præd. Anni, talis eſt. (*a*) *Spectabiles Officiales Studij Civitatis Florentiæ ſimul in ſufficienti numero congregati, quamvis abſente Laurentio Pieri de Medicis eorum Collega, ſervatis ſervandis Conduxerunt Mag. Joannem Roberti de Hibernia Regentem in Conventu Fratrum Minorum S. Crucis de Florentia pro duobus Annis inchoandis prima die Novembris proxime futuri, & uno alio inde immediate ſecuturo ad Beneplacitum Officialium Studij pro tempore exiſtentium: & cum Salario Florenorum viginti quinque de Studio quolibet Anno, ad legendum Piſis publice in Studio Theologiam, & inſuper Dialecticam, ſi velit: & ſit loco Magiſtri Bernardini de Cherichinis; & infra = = Die 30. Menſ. Octobr. 1479. D. Mag. Joannes audita d. Conducta, Vulgari ſermone eam Ratificavit &c. præſentibus Ser Jo. Ser Bartholomei & Ser Franciſco Ser Marci de*

F Ro-

(*a*) Lib. II. Deliberat. Offic. Stud. pag. 83. terg.

Romena Notar. Florent. Rog. &c. Die 3. Novembris 1479. *approbata fuit ſupraſcripta Conducta per Dominos & Collegia ſecundum morem*. De ipſomet impræſentiarum nihil aliud ſpeciale memorandum ſuppetit. Verum operoſiores feliciores ſque curæ, quibus duo præſtantiſſimi ejuſdem Ordinis Magiſtri, nempe *Franciſcus Antonius Benoſſius*, jampridem in Florentina Civitate S. Officij Vicarius, nunc vero Adrienſis Quæſitor vigilantiſſimus; necnon *Pandulphius Donninius* non multo ante præd. Cœnobij Rector & Cuſtos meritiſſimus, in perveſtiganda colligandaque decora ipſius aliorumque Inſignium Virorum, ad Thuſciæ Provinciam aliquomodo pertinentium, incumbunt, ſupplebunt, ut ſpero, laborem, ſi non omnino modicum, minus certe auſpicatum fortunatumque, quem in Hoc ipſo impendi.

§. VIII. Alter *Dulphius* ab eo, de quo in ſuperioribus egimus, Patria Bononienſi, *Franciſci Mantuæ Marchionis IV.* a Conſilijs &c. longe diverſus, ſeſe modo nobis offert, ſi non prolixo Elogio, opportuna ſaltem commemoratione dignus, *Felix* videlicet *Michaelis de Dulfis de Laterino*, Vallis Arni ſuperioris Pago non ignobili: cujus Eccleſia Plebanatus olim, nunc Præpoſituræ nomine decorata, duobus celeberrimi *Poggij Hiſtorici* Filijs; *Jo. Baptiſta* ſcilicet, & *Jo.*

Fran-

Franciſco fuit illuſtris. (*a*) Cum ea itaque conditione, ut prius Laurea Juris decoraretur, ægrotanti *Nicolao Altovito* Cæſarearum Inſtitutionum Interpreti, ſubſtitutus Anno 1479., reperitur: (*b*) cui conditioni quum paruiſſet *die X. Februarij*, eodem Anno *gratis*; Anno autem 1481., *Sexti*, & *Clementinarum* explicationi fuit noſter hic *Dulphius*, cum triginta Floreni admotus. (*c*) Cathedra hæc hodie omnino conticeſcit: niſi quod etiam nunc inſignes Juris Pontificij explanatores noſtri, ex quocumque Juris fonte, Textus hauriunt, quibus Tractatus ſuos, ad invidiam uſque, exornant, ac locupletant.

§. IX. Ex novo Univerſitatis Adminiſtro ingeniorumque Cultore, novum uberemque fructum ſibi potuit Academia polliceri, nempe ex *Franciſco Accolto Aretino*; cujus in Juriſprudentia Magiſterio, etſi alia ab aliis aliquanto remotior Epocha tribuatur; (*d*) nulla tamen certior, ex nunc extantibus monumentis aſſigna-

(*a*) Clar. Jo. Bapt. Recanat. in Vit. Poggij.

(*b*) Lib. II. Deliberat. Stud. pag. 120. & ſeqq:

(*c*) ibid. & pag. 140.

(*d*) A Dominic. Brancaccin. de Jur. Doctor. lib. 1. cap. 6. N. 10.

ſignari poteſt, quam *Quadringenteſimus Septuageſimus Nonus ſupra Milleſimum*, paulo ante quam gliſcente Peſte, alio Univerſitas commigraret: (*a*) Reconductione poſtmodum ipſius ad Biennium, abſque ullo Concurrenti, ſpecialiter facta *ſub Die* 29. *Januarij Anno* 1480.; (*b*) Stipendioque aucto a 1400., uſque ad 1440. Florenorum non vulgarem Quantitatem. (*c*)

Ex Origine, ut innuimus, Arretina, & proprie ex *Pontenano* ejuſdem Arretinæ ditionis Pago, (*d*) Florentiæ natus Anno 1417. (*e*) ex *Michaele Accolto*, Cauſidico primum illuſtri, mox Florentinæ Reipublicæ a Secretis; & *Margharita Roſellia*, celebris *Roſellj* J. C. Filia, (*f*) in omnem eruditionis laudem

(*a*) lib. Memor. in Off. Reform. ſub An. 1479. = Miſc. Sum. ibid.

(*b*) lib. II. Official. Stud. pag. 59. in Arch. Reform. Florentin.

(*c*) d. lib. 2. pag. 104. = Thom. Dempſter. Etr. Reg. T. 2. L. 5. C. 8.

(*d*) Dominic. M. Man. Tom. IX. de Sigil. Antiq. in Princip.

(*e*) Ex Epiſtol. Franc. Philelph. lib. 28. Epiſt. 30.

(*f*) P. Bachin. in Vit. Bened. Accolt. præmiſ. Dial. de Præſt. Vir. ſui Ævi = Clar. Apoſt. Zen. Tom. XI. Ephem. Italic. Art. XIII. Diſs. 3. num. 31. &c.

dem adoleverat una cum *Benedicto* Fratre, cognomento *L' Iſtorico*; non autem cum *Juniori Benedicto*, poſtea *Cardinali*, ut perperam a *Guido Pancirolio* creditum fuit & adnotatum, (*a*) quum Anno circiter 1443. Senas, mox Bononiam, integri curſus Juriſprudentiæ peragendi cauſſa, profectus, (*b*) ſub *Antonio de Prato Veteri*, ac *Ludovico Pontano*, Vulgo *Romano*, ceteriſque celebricribus ita profecit, ut Doctor J. U. renunciatus, poſtquam Romæ aliquandiu conſtitit, uberem ſelectamque doctrinam, quam exceperat, diverſis in Academijs, Publicus Profeſſor ſubinde deſignatus, (*c*) mira ſubtilitate cœperit enucleare: unde Illi honorificum *Principis Subtilitatum* Cognomen quæſitum merito fuerit. (*d*)

Stipendio Centum, in ſingulos Menſes, Librarum *Senis* Leges explicabat An-

---

(*a*) De Clar. Cap. 103. num. 160. Lib. 2. lib. 2. Cap. 101, &c.

(*b*) Ibid. cap. 94. in Elog. Lud. Pont., & d. Cap. 103. num. 159.

(*c*) Ferrant. Borſet., & Nicol. Papad. infer. allegandi.

(*d*) Herman. Conrig. Antiquit. Academ. Tract. de Scriptor. XV. Sæc. Cap. 3. = Æmil. Ferret. in Tract. de Mora &c.

no 1466. & ſubſequentibus, (*a*) quum Literis ad Senenſes a Florentina Republica datis, pro inſtaurando Piſano Gymnaſio fuit An. 1473. expetitus; (*b*) ſed fruſtra, Conductionis legem, & alia obijcientibus Senenſibus ipſis. Sexennio circiter poſtea videlicet præd. An. 1479. ad Piſanam Cathedram acceſſit; quamobrem mirari ſubit quomodo, in hac eadem Urbe, *Felinus* inſtitutus ab eo dicatur, quum *Felinus* hoc eodem tempore Piſis publice doceret: quæ *Felini* inſtitutio Ei præ ceteris aſſeritur a *Mantua Patavino*, (*c*) qui ſi de Ferrarienſi Studio teſtatus id fuiſſet, per ea quæ *Ferrantes Borſettus* tradit, a vero non aberraſſet: (*d*) Ferrariæ ſiquidem per diutinum tempus, maxima Doctrinæ & Honeſtatis fama floruit; & hac ſecunda adeo firma, adeo tenaci, ut quum eam, in conflictu ſiniſtræ opinionis, in quam Diſcipuli aliquot venerant, delere, aut de ipſa ſaltem, contrario facto, pericli-

tari

(*a*) Monum. Mſs. apud Jo. Poggi Baldovinet., de quib. infr.

(*b*) Scip. Ammir. in Spol. Mſs. in Arch. Secr. M. E. D. Tom. 2. pag. 149.

(*c*) In Epitom. de Vir. Illuſtr. num. marg. 104.

(*d*) Hiſtor. Gymnaſ. Ferrarienſ. part. 2. lib. 1. ſub An. 1450.

tari conatus fuerit, furtum Eſulium quorumdam, opera ac miniſterio famuli ſui clam exequutus, idemque poſtmodum Publicis Maleficiorum Quæſitoribus ſponte confeſſus, vix ab ipſis Judicibus & a Ferarienſi Duce obtinere potuit, ut præſtrito juramento oblatoque pretio (quod certe lucrari numquam in animum induxerat ſuum) pœnam a Studioſis illis Adoleſcentibus ſuſpicione aliqua laborantibus, & ob id carcere detentis, averruncaret. (*a*)

Piſtorium & ipſe cum ceteris Academicis poſtea conceſſit, ut patet ex Epiſtola ad eumdem data a Florentinis hujuſce Studij Moderatoribus, qua, ſub die 10. Novembris præd. An. 1479., ſic Ei honorificentiſſime reſpondendi initium faciunt = *Ex tuis proximis literis, Inſignis Eques & Doctor U. J. Excellentiſſime, intelleximus &c.* (*b*)

Poſt reditum autem, & quidem cum Stipendio 1440. *Floren.*, ut diximus; & cum *Privilegio*, ut propter *Senium & Ægritudinem*, ſemel tantum in hebdomada legeret; atque eas, quæ ſibi utiliores viderentur, Materias ad arbitrium

(*a*) Pancir. in Elog. loc. præalleg.

(*b*) Ex lib. 2. præd. Official. Stud. pag. 29.

proſequeretur, (*a*) conſtat, ad Materias quod attinet, Ordinem Italiæ conſuetum prætermiſiſſe; & relicta *Decio* Ordinariarum explicatione, duobus continuis annis, proſequutum fuiſſe, Tractatum de *Adquirenda vel omittenda Hereditate*, ut in Vita *Phil. Decij Franc. Boez.* adnotavit. Conſtat quoque, ſub An. 1482., Mor. Piſ., ad J. U. Lauream promoviſſe plures conſpicuos Alumnos: quos inter, Seniorem *Petrum*, ex *Benedicto* Fratre Nepotem, (*b*) eodem deinde Anno Sacrorum Canonum Profeſſorem hic conſtitutum; poſtmodum vero S. R. E. Cardinalem, de quo inferius. (*c*) Atque hoc quidem loci, denuo & diſtinctius obſervare datur, in Publicis Monumentis, *Equitis Aurati* titulo *Franciſcum noſtrum* cohoneſtari. Quod acceſſorium Avitæ ſuæ Nobilitatis Inſigne, fuerat jam a *Paulo II. S. P.* conſequutus, quem, Teſte *Matthia Palmerio* Legatus pro Repu-

---

(*a*) Ex d. lib. 2. pag. 104. & 129. = Pancir. in Dec. num. 213.

(*b*) Volum. II. Doctor. in Tabul. Archiep. Piſ. pag. 141. 143. 194. 198. 221. &c.

(*c*) Ex Alph. Ciaccon. in Jul. II. = Ferd. Ughel. Ital. Sacr. Tom. I. in Ser. Ancon., & Tom. II. in Ser. Raven.

publica Florentina adierat : (*a*) majora etiam conſequuturus ſub *Siſto IV.*, quo regnante, Romam denuo perrexerat, (*b*) niſi Eo ad Eccleſiaſticas Dignitates evecto, plures Juriſprudentiæ Alumni, qui *Ipſum* quocumque commigrantem ſequebantur, tam utili diſciplina fraudatum iri prænoſceret, ut in Elogio *Franciſci*, præter antiquiores, ex *Rovil.*, & *Conrad.*, Clariſ: *Freberus*, atque *Morerius* communi animadverſioni ſubijciunt. (*c*)
Et ſane nedum Senenſis; nedum ſemel iterumque Hæc noſtra; nedum Ferrarienſis Academia, ſub *Borſio Duce Eſtenſi*, qui ipſum quoque a Secretis Conſiliis ſuis adhibuit; (*d*) verum etiam Patavina *Franciſcum Accoltum* publice legentem auſcultaverant : (*e*) ſicuti pariter Univerſus Literarius Orbis, cum ſumma morum honeſtate, maximum in-

(*a*) De Tempor. ſub An. 1465. = d. Th. Dempſter. lib. 2. cap. 8. n. 4.

(*b*) Volater. Comm: Urb. lib. 21. in Antrop. in fine.

(*c*) Theatr. Viror. Erudit. Clar. Tom. 2. p. 2. Sect. 4. = In Dictionar. Geograph. in Verb. Aretin. Franc. Acolt.

(*d*) Prælaud. Borſet. P. 2. lib. 1. ad An. 1450. = Dempſter. d. l.

(*e*) Paul. Freher. ibid. = Papadop. lib. 3. Sect. I. C. 9. n. 51.

genij acumen in eo admiratus eſt, in iis, quæ in Jure ſcripſit, & ſunt = *Super Præcipuas Ordinarias Juris Civilis tam matutinas quam Veſpertinas Partes* = *Super Decretal.* = *Super Codic.* = *De Different. inter Interlocut. & Definitiv.* = *Volum. Conſil.* (*a*)

Præter hæc, alia plura, quæ ad Eruditionem ſpectant, paſſim Ei referuntur accepta, (*b*) & pleraque ex his Mſs: in celeberrimis Bibliothecis deliteſcentia, veluti = *Verſio de Græco in Latinum Idioma, nonnullarum Epiſtolarum, quæ ſub M. Bruti; Phalaridis Agrigentinorum Tyranni; Diogenis Philoſophi*, nomine circumferuntur = *Homiliarum etiam* 88. *D. J. Chryſoſtomi ſuper Evangel. D. Johan. Evangeliſtæ* = *Homer. Odiſſ.* = *Philocal.*

(*a*) Jo. Bapt. Zilet. Ind. Libr. Legal. pag. 4. 11. 35. 57. = Aug. Fontan. Bibl. Leg. P. I. = Balth. Werlin. in Addit. ad Trithem. de Scriptor. Eccleſiaſtic. = Valentin. Forſter. Lib. 3. Cap. 36.

(*b*) Bern. Montfauc. Biblioth. Biblioth. Tom. 1. & 2. in verb. Aret. Franc. = Apoſt. Zen. in Diar. Liter. Italic. Artic. III. in Addit. pag. 333. = Forſt., Werlin., Dempſter. dd: ll: = Conrad. Geſner. in Bibl. in verb. *Franc. Accolt.* & *Aretin.* = Petr. Baroc. in Orat. Funeb. Ant. Roſcel. = Jul. Negr. de Script. Flor. &c.

local. ex Origene = Nonnull: Plutarch Vit. = Lib. Baln. Puteol. incert. Auct. = Lib. Epigramm. Poetica etiam alia, vernacula lingua conſcripta, ei tribuuntur, quorum ſpecimen non omnino invenuſtum exhibet Clar. *Jo. Mar. Creſcimben. Comment. Hiſtor. Vulgar. Poeſ.* (*a*)

Verum quum nulla ex his *Accolti* nomen explicite præſeferant, ſed ſolum *Franciſci Aretini*, diu anceps dubitavi an omnia hæc, jure meritoque *Franciſco*, de quo nunc agimus, vere poſſint accepta referri; an alteri potius ex duobus ejuſdem nominis, ætatis, & Patriæ Scriptoribus, nempe Duobus *Franciſcis Arretinis*, in diverſa Claſſe, cum *Morerio* recenſitis. Anſam dubitandi præbuit inculta ſcribendi ratio, atque omnimoda Græcæ Literaturæ imperitia, quæ palam ſe prodit in iis, quæ *Noſter Accoltus*, de Jure ſcripſit Operibus. Hanc in genere perpendunt plures eruditione præſtantes Viri, nempe *Pancirol.*, *Morer.*, *Bayle:* (*b*) quibus animadverſionibus peculiarem identidem a me factam jungens, præ ceteris, animadvertendam obij-

F 6 cie-

(*a*) Volum. I. lib. VI., Edit. Rom. An. 1702. pag. 387.

(*b*) Panc. loc. præalleg. = Petr. Bæl. Dictionar. Hiſtor. Critic. Tom. I. in verb. Aretin. pag. 299. poſtrem. Edition.

ciebam Repetitionem, ab Eo elaboratam, ſuper famigerato Textu in *Cap. Per tuas XI. de Probationibus*, ubi, data Eidem opportunitate referendi cum Ulpiano J. C. in *L. Si uxor* 13. §. 1. ff. *Ad Leg. Jul. de Adulterijs*, quoſdam *Homeri* verſus, neque ea carmina refert, nec quidpiam affert, quod Græcam in eo Eruditionem redoleat.

His autem minime refragantibus, tandem in eam opinionem conceſſi Philologi ſimul & Juriſconſulti palmam non eſſe *Accolto Huic Noſtro* præripiendam; cultumque ſcribendi genus, conſulto neglectum, & in Juridicis Operibus fuiſſe ab Eo omiſſum (prout Clariſ. *Bernard. de la Mannoje* apud ipſum Petrum Bælium exiſtimat) (*a*) ut barbaro Forenſium uſui ac ſtylo ſeſe accomodaret; ut depravato Scholaſticorum ejus ætatis, & maxime Pragmaticorum, genio atque etiam intelligentiæ inſerviret: exemplo nimirum cultiſſimi alioquin Viri *Joannis Pici Mirandulani*, qui Apologiam Decimæ Tertiæ, ex Nongentis ſuis Theſibus, rudiori ſtylo exaravit.

Eſto tamen apud ipſum invaluerit Manilianum illud = *Ornari res ipſa negat contenta doceri* = = = = Quid, reſpectu celebris illius Verſionis Homiliarum

(*a*) Remarq. Manuſcrit. relat. ibid.

rum, ad id reſpondendum ſuppetit, quod noviſſime per eruditiſſimos Florentini Diarij Compilatores, ope conſpicui Mſ., quod in Bibliotheca Florentina *PP. Minorum S. Crucis* delitеſcit, detectum fuerit, Opus Verſionis *prædd: Homiliarum D. Jo. Chryſoſtomi ſuper Johan. Evangel.*, *Franciſco Noſtro* tribui ſolitum, nomen Inſcriptionemque alterius Franciſci, *Franciſci* videlicet *Mariotti* præſeferre? Ibi (*a*) = *Jo. Chryſoſtomi Omiliæ* 88. *ſuper Jo. Evangelio ex Græco in Latinum tranſlatæ a Domino Franciſco Mariotti Aretino*. Rem penitus introſpiciendo reſponderi poſſet in Originali, quod in Florentina D. Marci Bibliotheca aſſervatur, aſſertum *Mariotti* nomen deeſſe; & in Exemplo, ſeu Tranſumpto (quale illud eſſe nemo inficiatur; & evincit etiam *Domini* titulus, quem ſibi Auctor in Authographo non adrogaſſet) in interiori duntaxat Chartaceo Integumento *Mariotti* nomen haberi, ejus quidem ætatis, ut videtur, Charactere; at longe diverſo ab alio Contextus totius Operis, & Præfationis ad *Coſmam Medicem Patrem Patriæ:* quæ Nuncupatoria *Franciſci Aretini* tantummodo nomen in utroque Codice præſefert, pro quo communiter ha-
cte-

(*a*) Tom. 3. P. 3. Artic. 5. ex Plut. 14. Cod. 2. d. Biblioth.

ctenus *Accoltus* eſt ſubintellectus. Non diſcedendo autem ab obvia magis ſolutione, Reſpondetur Argumentationem hanc nihil aliud, ad ſummum, evincere, quam Duos illuſtres Scriptores, exemplum facile ſequutos Piſani *Burgundionis*, qui prius in eadem latina Homeliarum Verſione Studium atque operam impenderat, repertos fuiſſe ejuſdem Nominis ſeculi ac Patriæ; duos ſcilicet *Arretinos Franciſcos*, unum *Accoltum*, de quo nobis nunc ſermo; atque alium *Mariotti*, quibus in eodem Studij genere verſari libuerit, & in unam eamdemque meſſem falcem immittere. Per hæc igitur neutiquam præjudicium fit Opinioni *Franciſcum Accoltum*, de quo nunc ad nos, prælaudatas Homilias, niſi pluries, ſemel jam certe in Latinum Idioma verſas; iterum convertendas ſuſcepiſſe, atque etiam in hoc Opere ingenij ſui periculum feciſſe, licet non pari felicitate ſi *Eraſmo* fides habeatur. (*a*)

Multo minus in univerſum officit quod coævus inſignis Philologus *Bartholomæus Facius* inter Elogia Virorum, qui ætatem ipſam ornarunt: quæ Elogia recenti cura ac Studio *Laurentij Meheus* publicam

cam

(*a*) Epiſt. 59. lib. 26., & Epiſt. 4. lib. 28. apud d. Morer., & Bayl. T. 1. n. 6.

cam præli lucem adſpexerunt, (*a*) de uno tantum *Franciſco Aretino*, abſque ulla Familiæ deſignatione, meminerit, verſore prædd: Homiliarum, aliorumque Operum, quæ ad Eruditionem ſpectant, Auctore, eumque in Claſſe Rhetorum recenſeat; nullumque ipſi locum in Serie Juriſconſultorum Illuſtrium aſſignet: quod utique ſilentium in æquali Scriptore, indicio eſſe videtur in Uno eodemque *Franciſco* cumulatam minime fuiſſe præaſſertam Juriſprudentiæ ſimul multigenæque illius Eruditionis laudem; quin potius alium fuiſſe Rhetorem; alium Juriſconſultum, & hunc ætate poſteriorem, *Facio* fuiſſe penitus ignotum.

Minimi certe adverſus Communem Opinionem hæc valent, ut præmonuimus: implorat enim *Facius* veniam in Proœmio Hiſtoriolæ illius de Literatis Viris, quam circiter Annum 1456. conſarcinavit, ob omiſſionem fortaſſis aliquam, quæ in ea deprehendi poſſit, ſeque ſuppleturum recipit; at paulo poſt *Facius ipſe* vita deceſſit. Quamobrem veroſimiliter potius ſtatuendum videtur quod ea potiſſimum ætate, qua ſuperiora enarrabat *Facius*, etſi *Accoltus* abſque dubio viveret & apud ipſum quoque Eru-

di-

(*a*) Typ. Jo. Pauli Joannel. An. 1745. pag. 15.

ditionis gloria floreret; tamen Scriptori *Facio* nondum peculiari Juriſprudentiæ laude ſatis innotuerit: non utique ex ea ratione quod *Accoltus Noſter* Quadragenarius ſeſe Legum Studiis applicuerit, ut nimis facile ſibi ſuaſit *Joh. Harpreſtus*; (*a*) Hoc ſiquidem ex dictis dicendiſque falſiſſimum eſt, ſed ex ea Facti circumſtantia quod *Noſter hic* aliquanto poſt Jurisprudentiæ doctrina, Profeſſoriis Cathedris, aliiſque Juriſconſultorum Muniis cœperit Hiſtoria dignus haberi. Inter Elogia itaque Liguſtici hujus Scriptoris non inelegantis, etſi in Mſ. nomen *Accolti* deſit, ſub nomine *Franciſci Aretini* de Græcis Latiniſque literis optime meriti *Accoltum* deſignari cum erudito Editore exiſtimo; atque idcirco Profeſſorem hunc noſtrum, nedum ſcientia Legum ſed multiplicis Literaturæ laude claruiſſe, prout unanimi judicio cenſuerunt, concordique calamo adnotarunt quotquot eodem ſeculo ſcripſerunt præſtantiores Viri, quorum Teſtimonia, prout jacent referre juvat, ut una eademque opera, alia *Ipſius* decora innoteſcant.

Raphael Volaterranus in Commentariis Urbanis Lib. XXI. Anthropol. in fine hæc habet = *Franciſcus, præter Jura, cæteras.*

(*a*) In Epigraph. ſeu Tit. Proæm. Inſtit. Imperial. Num. 112.

ras etiam Liberales Artes eſt adeptus. Princeps Sæculi hujus habebatur. Venit Romam Xiſti tempore &c.

Bartholom. Socin. Conſil. Volum. IV. Conſil. 93. Num. 30. = Non auderem eligere, niſi fretus authoritate præſtantiſſimi J. C. Patris Preceptoris mei Aretini, qui in hac materia conſuluit &c., pro coronide ſubdens = *Eum Doctrina, ſubtilitate & conſcientia cæteris antecellere.*

Paulus Corteſius in Dialogo de Viris doctis pag. 53. = *ſed de Franciſco Aretino aliquid dicamus, qui fuit unus doctiſſimorum Juriſconſultiſſimus omnium. Nihil eſt literis mandatum; nihil in Artibus Diſciplinisque omnibus traditum, quod ab hoc Homine non ſit cognitum aut inveſtigatum. Memoria autem tanta erat & Verborum & Rerum, ut omnia quæ umquam legeret meminiſſet &c.*

Blondus Forolivienſis Hiſtor. Foroliv. Lib. 31. Reg. 3. ubi de Etruria & ſignanter de Aretio = Franciſcus non minus bonas Artes, & Oratoriam, ac omnem Hiſtoriam, quam Leges, excellenter edoctus eſt.

Poggius Bracciolin. (ut omittam cetera ejuſdem præconia in epiſtolis contenta) *in Nuncup. Dialogi adverſus Hippocrit., ipſimet Accolto facta = Ad Te, Vir præſtantiſſime, has meas deſtinavi vigilias, quem ſcio natura ad virtutem propenſa eſſe, ab omni labe tam mali facino-*

cino-

minoris alienum; vacas enim bonæ menti, & veram virtutem amplexus in his literarum Studiis, quæ optima exiſtimantur, verſaris. Abijcis omnem ſimulationem, & aperta rectaque via tendis ad honeſtatem, parens præceptis eorum, qui ſuis monitis nos inſtituunt ad meliorem vitam. Plus certe honeſti in te reſidere pateris, quam proponas conſpiciendum &c.

Franc. Philelphus Epiſtol. lib. 26. Epiſt. 1. = *At meretur Franciſcus Arretinus, cum ſit tum J. C. omnium præſtantiſſimus, tum nullius præclaræ diſciplinæ ignarus &c.* & inferius = *Ille prædicat apud omnes Diſcipulum ſe meum extitiſſe, mihique tribuit tantas laudes, quantis vellem me non carere &c.*

J. Jovian. Pontan. lib. 6. de Sermone = *Franciſcus Arretinus genere nobilis, Doctrina eximius, ætate provectior, cui Romana non parum debet Lingua, inter ipſos, quos habebat Doctrinæ ſectatores, ita ſe gerere eſt ſolitus, ut poſt traditam Inſtitutionem, minores ſemper inter illos partes, quam quæ ſuæ eſſent, ſuſciperet. Itaque non ſolum ſibi quod ſuum non eſſet, nullo modo arrogabat; verum demebat de proprio, & in loquendo, & in converſando cum familiaribus &c.*

Denique, ut prætermittam alios plures, nempe *Matthiam Palmerium*, *Jaſonem Maynum*, *Janus Pannonius*, qui tunc temporis in Italia, Studiorum cauſ-

ſa degebat, Ei inter cetera his plaudendum cenſuit carminibus (*a*) =

Franciſce Interpres Legum, o Arretine, Sacrarum,
Nec minus Aonia nobilis in Cythara &c.

Vir tam eminentis Doctrinæ, prudentiæ ac probitatis dignus plane fuiſſet, qui immortali apud nos vita frueretur; at deſiit circa Annum 1483. Emortualis Ejus annus *Pancirolio* aliiſque fuit ignotus; & a nonnullis etiam, ut *Frehero*, *Papadopolio*, *Oldoino*, *Borſettbio*, *Fabricio &c.* præmature ſignatus; (*b*) At vere tunc temporis, ex calculi morbo in veſica contracto, in Senenſi Territorio, ubi Balnea publico bono patent, occubuit: neque aliter fundato Studioſorum Juvenum Collegio, ut ſibi propoſuerat; ſed aliquibus tantum in pios uſus erogatis, ingenti ejus pecuniæ quantitate *Petro* nepoti, poſtea Cardinali relicta, quam ſibi ſua frugalitate comparaverat. (*c*) Certior hic vitæ ſuæ terminus evidentiſſime patet ex Mſs: nobilis & accurati in-

---

(*a*) Apud Bayl. præalleg. loc.

(*b*) Loc. & capit. ſuper. adnotat. = Fabric. med. Prat. Lib. 1. pag. 9.

(*c*) Valent. Forſter. lib. 3. Cap. 36 = Morer. in Lex. d. l.

in primis Viri *Franciſci Jo. Baldovinetti*, Accoltæ Familiæ arcto cognationis fœdere juncti, quæ penes juniorem *Joannem di Poggio Nicolai Filium*, eruditum officioſumque hominem aſſervantur, mihique humaniſſime exhibita fuerunt; recenter quoque detectus ab Amico, Conterraneoque noſtro, *Dominico M. Mannio*, in refertiſſimo, Etruſcorum præcipue monumentorum, Opere Italice ſcripto, ſuper *Sigillis Veterum:* (*a*) quibus ex *Attilii Alexij* Mſ. Hiſtoria, certior ille Mortis locus, videtur tantummodo ſuperaddendus. (*b*)

Vivit tamen adhuc *Franciſcus Accoltus*; *Et merito Famæ vivit honore ſuæ*, prout de ipſo eleganter cecinit *Gaſpar Conradus*; (*c*) nec tam in Æqualium ac Poſterorum Scriptis vivit, quorum pleraque ſupra retulimus, quam in Imagine ad vivum coloribus expreſſa, dum adhuc idem *Accoltus* in humanis degebat, a *Luca Signorellio Cortonenſi*, in Arretinæ Eccleſiæ *S. Franciſci* Sacello,

S.

(*a*) Tom. 12. pag. 62. Flor. Typis Auctor.

(*b*) Relat. a Clar. J. Lamio in Catalog. Inſign. Mſs. Biblioth. Riccard. pag. 17. Plut. R. J. Cod. Chart. in 4. Num. IV.

(*c*) Proſograph. Melic. Millen. 2. ap. Freher. d. l.

S. Michaelis Archangeli vulgo nuncupato *degli Accolti*; non vero in Æde *D. Auguſtini*, *ut M. Mantua in Epitome*, (*a*) *&* *Nicol. Papadopol. in Hiſtoria Gymnaſ. Patav.*, (*b*) memoriæ prodiderunt: quod utique a *Georgio Vaſario*, occulari teſte, fuerat longe pridem literis conſignatum. (*c*)

§. X. E Florentina *Altovita Familia* domi foriſque Clariſſima, (*d*) quæ Thuſcis Eccleſijs protulit Antiſtites; (*e*) Reipublicæ Signiferos atque Oratores (*f*) Militaribus Ordinibus inſignes Equites; (*g*) Externis Principibus intimos ac fami-

---

(*a*) Num. CIV. Edit. Lipſienſ. An. 1721 poſt Pancirol.

(*b*) In Elog. d. Franc. Accolto. Aret. lib. 3. Sect. I. Cap. X. n. LI.

(*c*) Vit. Pictor. P. II., Edit. Bonon. pag. 430.

(*d*) Eug. Gamur. Hiſt. Fam. Etruſc. &c. Tom. I.

(*e*) Ferd. Ughel. Tom. 3. = Luc. Joſ. Cerrach. de Epiſc. &c. pag. 183. = Steph. Roſſel Sepulcr. Eccleſ. Ss: Apoſt: = J. Albert. Fabric. Bibl. Med. & Infim. Æt. in verb. *Jacobus &c.*

(*f*) Scip. Ammir. P. II. = Jacob. Nard., & ap. Eumd.; Franc. Junctin. in Catal. Gonfal. Florent., Edit. Lugdun. An. 1582.

(*g*) Georg. Vivian. Marcheſ. P. I. Gal. &c. pag. 490. = Lud. Arald. Ital. Nobil.

miliares; (*a*) Literatis Viris ampliſſimos Mæcenates, (*b*) immo ipſimet Patrio Lyceo Præſides ac Moderatores, (*c*) prodiere plures, qui *Piſanam hanc noſtram Academiam* ornarunt, (*d*) inter quos ordine Prior, neque Doctrina ac Dignitate poſtremus, *Nicolaus Simonis Filius*, per errorem *Nicolaus Alvarotus* in Elogio *Philippi Decij*, penes *Pancirolium*, nuncupatus, qui ſub Anno 1479. Civili Juriſprudentiæ, quam funditus exhauſerat, lumen addidit fulgentiſſimum, eam in Piſano Athenæo publice, & ab initio *gratis* profitendo: (*e*) donec valetudine ſua, Publicis etiam privatiſque rebus ita exigentibus, in Patriam remeavit, ei plurimum opera & conſilio profuturus. Optatis exitus cumulatiſſime reſpondit; Clientibus ſiquidem opportunam opem in Foro præbuit; (*f*) præfuit etiam Hic noſter

(*a*) Inſcrip: Mſs: Cænob. Piſan. S. Franc. = Chriſtoph. Landin. in Apolog. Florent. &c.

(*b*) Chriſtoph. Amaron. Senenſ., Math. ſam.; Florentin. in Orat. Funeb. Ant. Ar.

(*c*) Prælaud. Man. Tom. 3. Sig. pag. 30.

(*d*) Monum. Piſan. Univerſ. ab An. 1517. ad 1526. &c.

(*e*) Lib. inſcript. Ricordi in Ser. Ict. & lib. 2. Offic. Reform. pag. 120.

(*f*) Joſ. Ruſtic. in L. cum Avus lib. 1. Cap. 13. num. 27.

ſter Juſtitiæ ſupremus vexillifer Anno 1517., ut *Scipio Ammiratus*, inter ceteros, memoriæ prodidit. (*a*) Ex quo quidem aliiſque rerum noſtrarum Conditoribus, alia decora pene dixerim innumera, depromere liceret, ſi non Literaria tantum, ex profeſſo, proſequeremur: ad quæ quum aliquomodo ſpectet Bulla *Xiſti IV.*, pro Piſani Studij ſubventione An. 1475. emanata; & pro executione vigilantiſſimis Viris *Antonio Aglio* Volaterrano Epiſcopo & *Domno Franciſco Altovito* totius Ordinis Valumbroſani Abbati Generali, commiſſa (*b*) Hoc quoque pro cronnide adnotatum volumus, ad eamdemque honorificentiſſimam Diſpoſitionem per extenſum inſpiciendam, Amicum Lectorem remittimus.

§. XI. Habuit Literaria Reſpublica; habuit Florentina Patria Urbs quod in *Benivenia* nobili Familia, decurrente Decimoquinto Seculo, de ſuo Triumviratu gloriaretur. *Hyeronimus*, *Antonius*, atque *Dominicus* fuerunt Hi, non minus Hi-

(*a*) Hiſtor. Florent. ſub An. 1512. & 1517. = Fr. Junctin. in præd. Serie &c.

(*b*) Lib. IV. Rer. Stud. pag. 236. & inde relata in noſtro Opuſc. Quinto, cui Tit. Collectio Monument. &c.

Hiſtoricorum, (*a*) quam Poetarum carminibus illuſtres: (*b*) e quibus *Angeli Politiani* libet, præ ceteris, Elegiæ fruſtulum heic exhibere.....

„ Felix grata Domus Lycio Benivenia Phæbo,
„ Cui ſua conceſſit munera cuncta Deus;
„ Namque coronidem tibi cedere juſſit Apollo,
„ Juſſit & Æmonium cedere Phylliriden.
„ Aſt alius ſimili Frater virtute recenſet,
„ Quæ Medicam ſurgens herba miniſtret opem.
„ Tertius Aoniis ſatur ille Hieronimus undis
„ Ad querulam docto Barbiton ore canit.
„ Biſſenos alius modo cum tranſcenderit annos,
„ Pectore jam canos vincit & ore ſenes,

Ce-

(*a*) Barth. Cerretanus in Hiſt. Mſ. in Biblioth. Averan. Mich. Pocciant., & Jul. Negr. in Hiſt. Script. Florent. noviſſime etiam de Antonio erudit. Andr. Petr. Julianel. in Elog. Hiſtoric. Jo. Bologneſi Præcept. pag. 28.

(*b*) Angel. Polit. in Lib. Epigram. in Eleg. ad Ant. Beniven.

Piſ. Gym.

„ Cederet huic Thamiras docti certamine cantus;
„ Cederet aurata Calliopea lyra;
„ Argumenta etiam Logicis miranda figuris
„ Implicat, & magnum verſat Ariſtotelem &c.

Ad nos præcipue pertinet poſtremus Hic, nempe *Dominicus Ser Pauli Filius*, quem ex Academicis Schedis conſtat ad Dialecticam Piſis ex Ordine profitendam, cum annua mercede Floren. 30., Anno 1479 deſignatum; (*a*) at per exiguum temporis intervallum; ex Notula enim in margine ſuperiorum Monumentorum appoſita, manifeſtum fit paulo poſt *Clauſtro* mancipatum fuiſſe; ſed falſo in hac extrinſeca additione: niſi forſan ex uſu convivendi cohabitandique, ea ætate, religioſiſſime ſervato, *Fratres* nuncupare velimus *Laurentianæ Baſilicæ Canonicos*; aliunde ſiquidem colligimus in inſignem illum *Laurentianum cœtum* cooptatum fuiſſe, ſub An. ſcilicet 1491. (*b*) Siquis

G ſoli-

(*a*) Præd. Volum. Memor. in Tabular. Reform. ſub d. An. 1479. & lib. 2. Deliberat. Official. Stud. pag. 97. ſub d. An. 1480.

(*b*) Campioncin. in Arch. Capit. Baſil. Laurent. Catal. XI. manu accuratiſ. Vir. Franc. M. Duccy exarat.

ſolicitatum & pene inductum ad Religioſum *D. Dominici* inſtitutum amplectendum, tunc temporis exiſtimaſſet, prout de *Jo. Pico Mirandulano* in ejus Vita legitur, (*a*) non omnino temere in eam opinionem conceſſiſſet; impulſu præſertim *F. Hieronymi Savonarolæ*, cujus Concionibus audiendis ambo frequentes aderant: & noſter Hic adeo addictus, ut eam, quam in ipſo reverebatur Sanctitatem, nedum verbis, ſed ſcriptis ubique teſtatam fecerit. Extat *Dominici* Liber Florentinis Typis impreſſus, per *Franciſcum Bonaccurſium*, *Anno* 1496., ubi de Miraculis & Prophetiis prælaudati *Savonarolæ*, nimium fortaſſe credulus agit: quem Librum (ſed neſcio quanam veraci internaque exiſtimatione) commemorat in celebri Lexico *Petrus Balius*. (*b*) Circumfertur & alter, pariter Florentiæ editus *An.* 1516. per *Jo. Steph. Caroli de Papia*, qui partem Operum ejuſdem *Savonarolæ* continet, ubi *Benivenius Noſter* in Epiſtola præmiſſa Tractatui Italice ſcripto *ſuper Triumpho Fidei Veritatis Chriſtianæ*, Univerſum Humanam Generationem alloquitur, monitam-

(*a*) In Vit. a Jo. Franc. Pic. conſcript., & Baſilienſ. Edit. præmiſ.

(*b*) Tom. IV. Noviſ. Edit. in verb. *Savonarol.* ſub nota K. p. 155.

tamque vult de Excellſſimis Virtutibus, quas in eo ſubſpicit & admiratur; Enormiſſimarumque Calumniarum, quibus, per ſummam injuriam, affectum ingemiſcit. Quomodocumque ſe res habuerit, illud certum quod in eadem Epiſtola obſervare datur quod ſeſe *Canonicum S. Laurentij* nuncupat: quod ipſum, & ex prima ex infra recenſendis Mſs: Epiſtolis apparet, & communiter a præallegatis Scriptoribus animadvertitur. (*a*) Commendat aliud ipſius *Benivenij* Opus jam ad coronidem perductum, quod *Lucerna Religioſorum* inſcribitur; Eumdemque, ad ultimam imponendam manum ſuis in *Sacros omnes Eccleſiæ Hymnos Commentarijs*, honorificentiſſime hortatur *Benedictus Philologus Florentinus*, ſub quo nomine latet *Benedictus Riccardinus*, olim Laurentianæ Scholæ Præceptor, poſtea ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, in Nuncupatione *Tragèdiarum Senecæ*, ipſimet *Canonico Benivenio* facta, & per Philip. Junctam Florentiæ editarum An. 1506.

Inedita ejuſdem opera, alia plura fuiſſe veroſimile admodum eſt; in ea præ-

(*a*) Jul. Negr. & Pocciant. in verb. *Dominic. Beniven.* = Erudit. Dominic. Georg. infer. allegand. in Not. Hiſtoric. ad Indic. Bib^l. Capon. per Bernab. & Lazari. impreſ. Rom. An. 1747.

ſertim Dialecticæ facultate, quam publice profeſſus fuerat, & in qua adeo excellere deprehenſus fuerat, ut vulgo *Scotini nomine* ſubintelligeretur. (*a*) In Etruſca etiam Poeſi, in qua ſeſe cum laude exercuiſſe, & impreſſa inter Opera *Hieronymi Fratris*, ejus elucubratio demonſtrat; & *Politianus* prælaudatus; & in hiſtoria Vulgaris Poeſis, *Jo. Marius Creſcimbenius*; & nuperrime quoque, in celebri Catalogo Bibliothecæ defuncti dudum *Alexandri Marchionis Capponi*, Clar. Præſul *Dominicus Georgius*, erudite adnotant. (*b*) Inter Anecdota, præcitatus *Negrius* recenſet *Apologiam pro ipſomet Savonarola*, in formam Dialogi conſcriptam; atque Opuſculum in laudem *B. V.*, cui titulus *Scala Spirit.*

His, utpote a præd. Auctoribus ſilentio prætermiſſas, ſuperaddere juvat prælaudati *Benivenij Quinque Morales Epiſtolas*, quas avito hereditario jure poſſidet *Aſcanius Samminiatus Eques ac Senator Ampliſſimus*: quarum introſpiciendarum mihi copiam humaniſſime præbuit *Hugo Filius*, humanioribus literis, ſed

(*a*) Ferd. Melior. Flor. Illuſtr. pag. 182.

(*b*) Polit. in d. lib. Epigram. Edit. Griph. pag. 569. = Creſcimb. Tom. 4. Comment. Edit. Venet. pag. 29. Num. 67. = Georg. in d. Op. Edit. Rom. An. 1747. pag. 55.

ſed maxime ſanioris Philoſophiæ Studiis addictus, ut editæ propugnatæque Florentiæ locupletiſſimæ ipſius Theſes palam faciunt. (*a*) Ex poſtrema earumdem Epiſtolarum, quæ (ad differentiam aliarum *Sor. Benignæ*, ex numero earum Sanctimonialium, quas italice dicimus *Delle Murate*, aliiſque pientiſſimis Sororibus S. Michaelis tranſmiſſarum) data fuit ad *Dilectos in Chriſto Fratres*, partim Lucenſis, partim Piſtorienſis Territorij, in Communitate *Calamechæ*, *Lancivolæ*, & *Creſpoli* degentes; ex ea, inquam, Epiſtola apparet *Benivenium* Piſcienſi etiam Hoſpitali præfectum fuiſſe; & forſan illi, quod *S. Jacobi* ſimul & *Philippi* nuncupatum, in Monaſterium *S. Mariæ Novæ Ordinis D. Benedicti*, cum priſtino onere Peregrinos ſuſcipiendi, tranſiit, & adhuc viget. (*b*)

Amicitia præſtantiſſimorum in Florentina Urbe Literatorum, & exiſtimatione uſum fuiſſe, maniſeſtiſſime patet. *Marſilius Ficinus* Amicum & *Complatonicum*

(*a*) Anno 1741. Typ. Reg. Celſitud.

(*b*) Franc. Galeott. in Monument. Piſcienſ. Mſs. pag. 221. 252. 258. ap. Clar. Joannem Lamium, qui merito ob ejus omnigenam eruditionem, hoc Anno 1747., æneo Numiſmate ab æquis rerum æſtimatoribus donatus eſt.

eum appellat Lib. VIII. Epiſt. 20. Doctrinam ipſius integritatemque, in Epiſtola ad ipſum data *ex Fracta* die 10. Novembr. An. 1486., cujus initium = *Salve mi Dominice in ſortem Domini electe*; & in Nuncupatoria *Operis de Ente & Uno ad Angelum Politianum* tranſmiſſa, concelebrat, laudatiſſimus & ipſe Vir, *Jo. Picus Mirandulanus*. (*a*)

Plorat denique hujuſce præcellentis Viri, amantiſſimique Fratris obitum, *Hieronymus Benivenius* Etruſco Epigrammate, quod præallegato loco recenſet *Poccianthius*, ex contumaci illa Stomachi capitiſque ægritudine, quam in præd. Epiſtola *ad Moniales S. Michaelis*, cauſabatur; & jampridem imminentem præ noverat *Joannes Picus*. (*b*) Eveniſſe autem Ei fatalem hunc diem 3. Non. Decembr. An. 1507., emendando in hoc *Meliorem*, qui An. 1480., ſupplendo autem *Pocciantum ipſum*, & *Negrium*, qui certum minime deſignant, ex alio inſigni Mſ. Laurentianæ eruimus. (*c*)

Un-

(*a*) In Edit. Baſil. J. Pici Operum pag. 243., & 182., Et inter Epiſt. Polit., Edit. Lugdun., lib. 12. pag. 354.

(*b*) D. Epiſt. ad Dominicum data pag. 382.

(*c*) Lib. Partit. A. 3. ab An. 1501. ad 1516. pag. 60.

Unde etiam deprehendimus, relicta eidem Eccleſiæ exigua ſua ſupellectile, & exiliori pecuniæ quantitate, in elemoſynas pro centum Sacrificiorum ſuffragio eroganda, in eadem Sacra æde tumulatum fuiſſe, cum interventu illius Eccleſiaſtici Cœtus, & PP. Prædicatorum Conventus Florentini *D. Marci*: cui Religioſæ Familiæ maxime fuerat addictus, ut diximus; & cui, non multis retro annis, nomen dederat *Jo. Franciſcus Laurentij de Benivienis*, Adnepos illius *Chriſtophori*, qui Priorum Sellas, anteriori Seculo, cum dignitate occupaverat, ut partim ex Mſs. ejus Cœnobij Annalibus conſtat; (*a*) partim vero ex Domeſticis Monumentis humaniſſimi religioſiſſimique Viri *Nicolai de Giannis* Patritij Florentini; cum qua pariter Nobiliſſima *de Giannis* Familia, ſibi decorum duxit *Benivenia Gens* connubium inire.

§. XII. Illucet Orbi Chriſtiano Annus Milleſimus Quadringenteſimus Octuageſimus; & en Vigilantiſſimos Studij Piſani Curatores, de nova Profeſſorum Conductione, providentiſſime ſolicitos. Adlecto primum in Canoniſtarum Album *Laurentio Antonij de Puccis Patritio Florentino*, de quo, ratione cohærentiæ ſuperius egimus; (*b*) Quum inter juris

(*a*) Pag. 148. terg.
(*b*) In Opuſc. cui Tit. Elogia &c.

Auditores primas facile teneret *Dominicus Pratenſis* Bartholomæi Filius, quem ex illius Patriæ Monumentis, *de Bettinis* fuiſſe deprehendimus, honeſtiori quovis Gradu conſpicuis; (*a*) in eum quoque Superiorum oculi conjecti; & gratis Ei ab initio legendi Cæſareas Inſtitutiones facultas data; (*b*) deinde vero cum ea Conditione alias apponi ſolita, ut prius conſuetum Doctoratus examen ſubiret, ipſimet *Decreti* Lectio conſtituta pro duobus Annis, atque uno, prout erat uſitata Collationum formula, *ad Beneplacitum*. (*c*) Ob ærumnas temporum; Aerarij anguſtias; proxime ſuſcipiendam Theatri Scholarum ædificationem, atque immaturam etiam ipſius ætatem &c. Florenorum tantummodo XV. Ei decreta merces: ſupplente autem de more exilitatem Stipendij magniloquentia Promiſſorum, quam utinam aliquando fruſtratio non fuiſſet ſequuta!

Plane ſpe prœmiorum, vel gloria tantummodo paſci, non e re duxit *ſua Sebaſtia-*

(*a*) Tabular. Pratenſ. Comunit. Lib. Q. S. Stephani ſub An. 1506.

(*b*) Memorial. Ref. Florent. pag. 4. in Ser. Civil. d. An. 1480.

(*c*) Lib. II. Rer. Stud. in Arch. Reform. pag. 127.

ſtianus de Catalonia gratis etiam Is eodem Anno ad Canonicæ Cathedram evectus; (*a*) quamobrem neque de ipſius Ratihabitione, neque de Exercitio conſtat.

Generóſior profectò *Bettinius* curſum utrumque confecit: neque re vera Eidem poſtea defuit Academica quævis honoris ac Emolumenti acceſſio; ut primùm enim Gymnaſiarchis oblata opportunitas fuit per obitum *Mariani de Vecchiano* die 1. Aprilis An. 1485., (*b*) ad Ordinariam Emeriti iſtius Profeſſoris, de quo alibi pertractatum, (*c*) Cathedram duplicato præd. Honorario promotus ab iis fuit. (*d*) Abſente, vel aliter impedito *Ruperto Strozza* Piſani Archipræſulis Vicario, occaſione Promotionum ad Literarias Infulas, tale munus *Dominico* demandatum. (*e*) In Patria quoque ſua, cum de excipiendo ſolemniter honorandoque *Oddone de Altovitis* Pratenſi Præpoſituræ, per Reſignationem *Joannis Car-*

G 5 *di-*

(*a*) Præd. Volum. 2. Deliberat. pag. 98.

(*b*) Lib. IV. Ref. pag. 116. ſub d. An. 1485.

(*c*) In Op. de Fato pag. 62. Num. marg. XIV.

(*d*) Rot. Univ. An. 1485.

(*e*) Lib. II. Doctor. Archiep. Piſ. Arch. pag. 240. & 242. An. 1490.

dinalis Medicei, admoto, cum *Mag. Leone Philippi Lei de Villanis Medicinæ Doctore* ; & *Hieronymo de Calvis Doctore Legum*, *D. Dominicus Bartholomæi de Bettinis Decretorum Doctor*, a Generali Conſilio honorificentiſſime deputatus invenitur. (*a*) In eadem *Decreti* exponendi Provincia uſque ad An. 1520. perſtitiſſe accepimus ; (*b*) quantum vero vivendo ſuperexceſſerit, e Pratenſibus Monumentis adhuc deſideratur.

§. XIII. *Deus Felicis del Beccuto*, Familia, etiam tunc temporis cum conſpicua *de Pittis*, *de Biliottis*, *de Podio* Connubijs juncta, primiſque Florentinæ Urbis Honoribus, in perſona etiam Patris, decentiſſime cohoneſtata (*c*). Natus An. Salut. 1454., Anno poſtmodum 1480. Extra Ordinem Juri Cæſareo profitendo, *Bartholomæo Baldinocto* ſuffectus ; dein Inſtitutionum Profeſſor in capite deſignatus, cœpit hanc ſpartam ornare, nactus ab

(*a*) Diurn. Ser Quirici Jo. Baldinuc. ab An. 1496. ad 1502. ſub die 20. Aug. An. 1501.

(*b*) Mem. Ref. ſub die 11. Octob. d. An. 1520.

(*c*) Thom. Fortes Mſ. in Arch. Secret. Magnor. Etrur. Duc. P. I. pag. 167. &c. = Petr. Anton. Anciſ. ibid. = Jo. Bapt. Recan. in U. P.

ab initio præmium duntaxat *Floren. Viginti quinque*. (*a*) Tam tenui Stipendio operas ſuas Juriſconſultum hominem, alioſque lucroſæ huic Arti addictos locaſſe, mirandum plane non eſt; nam præterquam quod Hic noſter aliud vivendi genus jam animo volutabat, ut inferius adnotabitur, præviis hiſce Tyrociniis, Juvenes adhuc Profeſſores ad fixam ſtabilemque ſedem, & ad majora Stipendia, & dignitatum faſtigia gradum ſibi quodammodo ſternebant; in hoc Noſtro, illud quoque præcipuum quod habuit Piſis quos aliqua ſanguinis neceſſitudine contingeret, & ad hanc potius, quam ad aliam manſionem alliceretur. Relatio hæc, præter ſpem, obvia mihi fit ex Charta quadam Pergamena Anni 1481. *Rog. Ser Petro Ser Jo. de S. Caſſiano*, quæ in *Archivo Operæ Primitialis* ſub Num. 3362. deliteſcit: ex qua apparet ad normam Piſani Statuti, prælaudatum *Deum*, tanquam unum ex Conjunctis, legitimum aſſenſum præſtitiſſe *D. Jacobæ Viduæ Ser Petri Mag. Lupi Civis ac Notarij Piſani*, & *heredi ſ. Simonis Filij*, occaſione Venditionis cujuſdam Terræ pro diſſolvendo ære alieno ab ipſomet Filio contracto cum *Bernardo Balthaſa-*

G 6 *ris*

(*a*) Lib. 2. Rer. Stud. pag. 121. lib. Memor. ibid. ſub An. 1480.

vis de Bonſis Inſtitore ac Socio *Ugolini & Antonij de Martellis* Civium Florentinorum eo tempore Mercaturam Piſis facientium ; quod jugerum terræ poſtmodum jure novæ Venditionis in aliam Viduam tranſiit , *Martham* videlicet *Thomæ Thrivinij de Bergamo*, nuptam jampridem *Gerardo Beltrami de Brambilla* ejuſdem Bergomenſis ditionis , in eadem Piſana Urbe , in Capella *S. Martini in Kinſica* commoranti . Poſt merita hæc Piſis Stipendia , palam fit ex Duplici , ut vocant , Arbore Cognationis , quæ Florentiæ in Archivo Secreto Sereniſs: Etruriæ Ducum , nunc Sacræ Cæſareæ Majeſtatis , aſſervatur , calamo quondam Clar. *Laurentij Mariani* exarata ; inpræſentiarum vero Cuſtodiæ Eruditi Honeſtique Hominis *Jo. Baptiſtæ Dei* commiſſa , prælaudatum *Deum Felicis Filium* Religioſæ Familiæ D. Dominici nomen dediſſe *Fr. Petrum Paulum* in Clauſtris nuncupatum . Deeſt ibidem locus , ac tempus : utrumque tamen mihi nunc , oculari Teſti , ſupplere datur ex MS. Chronico Papiraceo *Cœnobij Florentini D. Marci*, unde conſtat ſub Prioratu famigeratiſſimi *Hieronymi Savonarolæ* , ſub die 5. Jul. An. 1493. Profeſſionem ſolemniter emiſiſſe . (a)

§. XIV.

(a) Lib. Vulgo nuncup. Ricordanze pag. 145. a terg.

§. XIV. *Neſtor Benedicti de Merandis Bononienſis*, ex *Laurentij Vallæ* controverſiis in Literaria Hiſtorica maxime noti, (*a*) non degener utique Filius, per Biennium Medicæ illius Peritiæ, qua Bononiæ potiſſimum inclaruerat, Piſis quoque (quanvis a Scriptoribus communiter Piſana hæc Cathedra ſilentio prætermittatur) copiam fecit conductus Anno 1480. ad unam ex Ordinariis Sedibus cum *Floren.* 250. (*b*) Editis Dialecticis, & ſubtiliſſimis Phyſicis Quæſtionibus inclaruiſſe magis *Johannes Antonius Bumaldius in Minervalibus*, *Matthias Konigius in Bibliotheca* memoriæ mandarunt: ob quas, probatiſſimumque alias vitæ genus meruit funebri Oratione a celeberrimo Viro *Jo. Garzonio* laudari. (*c*) Melius mehercle dixiſſem deplorari; quum Ei Anno 1503. hoſtiliter impetito miſerrime contigerit interire. De ipſo cum laude loquuntur etiam *Leander Albertus ac*

Pe-

(*a*) Inter Op. Val. Edit. Baſil. pag. 445. &c. = Gaſp. Bombac. Hiſt. Bonon. pag. 308. = Jo. Albert. Fabric. in Bibl. Med. & infim. Ætat. T. I. in verb. Bened.

(*b*) Lib. 2. Deliberat. Stud. pag. 100. & 141.

(*c*) Nicol. Paſqual. Alidoſ. de Doct. Bonon. Art. pag. 6.

Peregrinus Orlandius. (*a*) In ipſius c
que commendationem conſcriptum l
ticum Elogium a commemorato plu
Equite Caſio hic, ex eodem *Alidoſ*
referre liceret; aliosque quamplures
Morandia Gente, etiam in Juriſpruc
tia præclaros Viros commemorare.
rum Opuſculi anguſtiæ non ſinunt
plius in His aliisque diutius immorar

(*a*) In Ital. Deſcript. ubi de E
pag. 274. &c. = in Notit. Scrip
nonienſ. pag. 214. &c.